



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

De Sacramento Ordinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

Q V A E S T I O C I.

Vtrum Extrema-Vnctio sit Sacramentum necessarium ad salutem vitae aeternae.

Videtur esse necessarium necessitate, & medij, & praecepti medij quidem, quia fieri potest, ut quis damnetur, praecise, quia caruit hoc sacramento, tamen inculpabiliter caruerit; fieri siquidem potest ut decedat in statu peccati lethalis praecise, quia non suscepit hoc sacramento tamen peccauerit omittendo illud, ut liquet ex quaest. praecedenti artic. 4. Praecepti vero necessitas probatur quia ex lege charitatis unusquisque grauiter obligatur, ut sibi procuret, neque libere negligat hoc tantum praesidium pro articulo mortis. Accedit concilium Senonense decreto fidei. 10. dicens: *Ne hic noster vngendi infirmos ritus, Christi praeceptum, non tamen sacramentum esse videretur, dicit Iacobus, infirmatur quis, &c.* Quae ipsa Apostoli verba appellat mandatum Apostolicum Conc. Colon. anni 1536. p. 7. c. 50. Accedit rursus peccare grauiter non solum Parochum, sed etiam in eius defectu quemlibet alium sacerdotem, si neget hoc sacramento moribundo ipsum petenti; peccat igitur multo magis moribundus ipse, si illud non petat, aut reiiciat oblatum, quatenus unusquisque tenetur magis ut sibi provideat, quam aliis, ut provideant eidem.

Respondetur: Nemo licite accedere potest ad hoc sacramento, aut fructuose, ipsum suscipere, quin credat se esse in statu gratiae ante susceptionem eius, ut liquet ex dictis in quaestione praecedenti. Vnde nemo tenetur in conscientia ad suscipiendum hoc sacramento praecise quatenus tenetur ad deletionem peccatorum praecedentium, cum ante susceptionem credere debeat, iam se aliunde illam consecutum esse. Sed neque tenetur suscipere idem sacramento, quatenus subministrat auxilia gratiae ad vitanda peccata nondum commissa. Quia independenter ab hoc medio largitur Deus omnibus praesertim iustis auxilia ad id sufficientia; ad superabundantiam vero procuranda nemo tenetur sub peccato. Quapropter nulla est obligatio saltem grauis suscipiendi hoc sacramento praecise ex natura rei secundum se. Sed neque constat de villo praecocepto Diuino, aut humano, Quia illud Iacobi inducat *Presbyteros* ex indifferens ex se, ad consilium, nec ex subiecta materia sufficienter determinatur ad praecoceptum proprie tale. Concilium vero Senonense loquitur de praecocepto Christi circa curationem corporalem infirmorum, quod habetur Marci 6. atque Concilium Colonienae usurpat mandatum ut frequenter solet, in latiori significatione, pro admonitione, seu manifestatione voluntatis superioris, siue pure consiliatiua, siue stricte praecoceptiua ea sit. Itaque solum per accidens fieri potest ut quis grauiter peccet omittendo hoc sacramento, vel ex conscientia etranea, vel propter scandalum, si negligenter omittatur tale, ac tantum praesidium in tali articulo, vel quia infirmus non est satis tutus de sua iustificatione, nec suppetit copia confessionis pro sacramento Poenitentiae. Quia vero facilius suboritur scandalum ex voluntaria omissione huius sacramenti, quam aliorum sacramentorum, non certo conferentium primam gratiam; nec difficile admodum est ut insit infirmo exigua admodum certitudo iustificationis iam obtenta, aut adhuc consequibilis aliunde, atque est longe probabilius, hoc sacramento posse conferre primam

gratiam quam alia sacramenta viuorum, ut liquet ex quaest. praecedenti; Quia inquam haec ita se habent, facilius, & pluries occurrit casus grauis obligationis suscipiendi hoc sacramento, pro tempore opportuno, quam suscipiendi alia sacramenta viuorum, de quibus non exat praecoceptum speciale. Quia ipsa ratione confirmatur efficaciter quod superius dictum est ex communi, hoc sacramento posse dari moribundo, tamen sensibus destitutus sit, nec sit petendo, nec prius dederit signum aliquod speciale petitionis, aut desiderij: Quia nihilominus praesumitur prudenter voluntas saltem implicita huius sacramenti in quouis moribundo Catholico, & qui immediate ante eum articulum vixerit Catholice, deditque signa animi Christiane & probe dispositi ad mortem.

Ex his patet ad rationem dubitandi. Constat enim imprimis hoc sacramento non habere rationem medij vtilis ad salutem respectu eius, qui credit adhuc sibi deesse aliquod medium necessarium ad salutem, seu nondum se esse iustificatum, atque ideo ex hoc capite neminem obligari per se ad hoc sacramento. Constitit rursus nullum in illis textibus contineri praecoceptum proprie tale. Quod postremo opponitur de Parochis, deque aliis sacerdotibus in defectu Parochorum obligatis grauiter ad vngendum, non vrget. Quia Parochi ex Iustitia, & in eorum defectu ceteri sacerdotes ex charitate tenentur, tanquam ministri Dei ad hoc deputati, ad subueniendum fidelibus, quando indigent, per media ordinaria, & sacramenta à Deo instituta; cum tamen nemo saltem grauiter obligetur ex studio propriae salutis, ad id quod tutius, & melius est, sed necessarium minime est, aut putatur ad delendum, aut vitandum peccatum, sed solum ad non omittendum ex contemptu, quae sunt eiusmodi, ut obseruat Concil. Trident. circa hoc ipsum sacramento sess. 14. cap. 3. sub finem.



INCIPIUNT QVÆSTIONES
de Sacramento Ordinis.

Q V A E S T I O C I I.

Vtrum Ordo sit Sacramentum collatum potestatis ad Mysterium venerabilis Eucharistiae rite peragendum?



VIDETUR non esse. 1. Quia ordo ex suo conceptu, dicit praeminentiam aliorum, & subiectionem aliorum. Huic autem praeminentiae & subiectioni nullus est locus in Ecclesia Dei. Quia subiectio repugnat libertati, in quam vocati sumus omnes fideles per Christum. Praeminentia vero repugnat humilitati Christianae, ratione cuius debet quilibet se reputare inferiorem, respectu cuiuslibet alterius, iuxta illud ad Philip. 2. 3. *Superiores inimicem arbitantes.* Ac demum utraque repugnat aequalitati omnium hominum in natura absque cuius inaequalitate, neque in Angelis, neque in substantiis irrationalibus, datur vlla inferiorum, & superiorum differentia, ac proinde, neque in hominibus vlla admitti debet. Nempe omnis inaequalitas aequalium in natura, est contra naturam, naturalemque rerum habitudinem mutuum. In Ecclesia autem nihil est contra naturam. Ergo in Ecclesia

Ecclesia nullus est ordo præminentia aliorum, supra alios filios.

2. De ratione sacramenti est elementum materiale, ut patet ex definitione Hugonis, de Sancto Viatore indicata supra in communi quaest. 1. Item est de conceptu eius limitatio ad viatores, seu ad Ecclesiam militantem. Demum est de eiusdem conceptu, ut sit aliquid spirituale, & respiciens effectum iudem spirituale, ac supernaturalem. Ordo autem, nec materiale aliquod elementum includit in suo conceptu, nec solis convenit viatoribus, nec restringitur ad solas res spirituales, ac supernaturales. Quia adæquatus conceptus ordinis, consistit in relatione, & mutua quadam habitudine plurium inter se, daturque Ordo, tum in Angelis, aliisque Beatis, & quidem perfectior, quam in Ecclesia militante; tum in Republica temporali; inter Reges, & subditos, aliosque eiusmodi. Ergo Ordo non est sacramentum.

3. Ordo aliquorum inter se, aequaliter reperitur in omnibus ordinatis; Quia relatio, quæ est genus respectu ordinis, æquè reperitur in omnibus mutuo relatis. Potestas autem ad peragendum mysterium Eucharistia, non convenit æqualiter omnibus. Ergo Ordo non rectè exponitur per eiusmodi potestatem.

4. Iurisdictio spiritualis, est potestas spiritualis, quæ confertur per sacramentum, tum Presbytero ad soluendum, & ligandum in foro interno, tum Episcopo, etiam in externo. Et tamen iurisdictio spiritualis, non est potestas ad mysterium Eucharistia, ut patet. Ergo sacramentum Ordinis non bene restringitur ad vim collatiua potestatis, circa mysterium Eucharistia.

5. Definitio proposita differt multum, etiam quoad substantiam, à definitionibus Ordinis communiter receptis. Quia hoc sacramentum definitur à Mag. dist. 24. *Signaculum quoddam Ecclesie, quo spiritualis potestas traditur ordinato.* A D. Thoma, quaest. 34. artic. 2. exponitur hoc sacramentum per characterem tantum, concludit enim sic: *Vnde relinquitur quod ipse character interior, sit essentialiter, & principaliter ipsum sacramentum Ordinis.* Rursus definitio apud alios satis communis est hæc: *Actio consecratoria, qua gradus alicuius potestatis alicui confertur, ad aliquod Altaris mysterium.* Ab aliis denique hoc sacramentum dicitur: *Sacra ceremonia, qua traditur potestas spiritualis aliquod ministerium exercendi, simulque gratia sanctificans ad illud rite, & convenienter obeundum.* Definitio autem proposita, nec exprimitur character expressus à magistro, & D. Thoma, nec extenditur potestas ad omne ministerium spirituale Altaris, vel extra Altare, nec denique notificatur vis causatiua gratia, ut fit in aliis communibus definitionibus. Ergo definitio proposita est omnino relicienda, utpotè minime congruens communi conceptui, ideoque proculdubio legitimo, circa hoc sacramentum.

6. Natura cuiusque causæ manifestatur præcipuè relatè ad principalem suum effectum. Inter effectus autem huius sacramenti principalior est collatio gratia, quam collatio potestatis. Ergo manifestari potius deberet relatè ad gratiam, quam confert.

7. Sicut Ordo confert potestatem ad perficiendum, seu administrandum sacramenta; ita Baptismus confert potestatem ad suscipienda reliqua sacramenta, & nihilominus Baptismus non definitur per vim collatiua potestatis. Ergo neque Ordo definiti debet per eandem vim collatiua potestatis.

Artic. 1. Respondetur. *Ordo est parium, dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio*, ut dicit Augustinus lib. 19. de Civit. cap. 13. sed principaliter consistit Ordo in dispositione rerum inuicem disparium. Quia dispositio rerum inuicem parium, dum apparent pares, est ordo per accidens, utpotè nihil

ponens in ipsis, ratione cuius petant, seu adscribant sibi locum cum determinatum, qui unicuique eorum tribuitur. Hinc diversi ordines vulgo in Republica dicuntur, atque distinguuntur, iuxta disparitatem graduum inuicem inæqualium, in quibus alij, atque alij collocantur, quales sunt ordo senatorius, equestris, plebeius. Eadem ratione in Hierarchia Cælesti constituuntur communiter nouem ordines Angelorum, iuxta totidem eorum differentias notabiliter dispares inter se. Cum ergo Ecclesia Respublica quadam media inter humanam istam, ac purè naturalem; atque cælestem illam, ac supernaturalem perfectionem ordinis carere non potest, quæ ita imitetur ordinem Ecclesie triumphantis, ut superet perfectionem Reipublicæ purè naturalis, ac humanæ. Et quidem, cum *qua sunt à Deo, Ordinata sunt*, ut dicitur, ad Rom. 13. atque necesse sit ordinem à Deo constitutum in operibus suis eò esse præstantiorem, quo ipsa opera præstantiora fuerint; Ecclesia verò sit à Deo, qui ipsam adificauit sanguine suo, sitque nobilissimum, ac perfectissimum eius opus, in quo non est macula, neque ruga; clarè concluditur Deum in Ecclesia sua constituisse ordinem, eumque præstantissimum, ac perfectissimum.

Artic. 2. Perfectio porro Ordinis elucet præcipuè in iis, quæ præminent inter ea, quæ inter se ordinantur. Quia ex perfectione eorum dependet, atque dimanat inferiorum perfectio. Vnde in Ecclesia ordo adscribitur iis solis, qui gradum aliquem præminentem in ea obtinent. Vsurpatur verò dupliciter Ordo, prout eisdem tribuitur, actiue nimirum, & passiue. Ordo actiue sumptus, qui & ordinatio dicitur, est actio, per quam suis unicuique præminentia gradus tribuitur. Passiue sumptus est ipse præminentia gradus, qui inest unicuique præminentium. Ordinem usurpat passiue, pro ipso gradu ordinati, Conc. Trid. sess. 23. cap. 2. Dum dicit; *ab ipso Ecclesie initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicet; Acolythi, &c. in usu fuisse, quamuis non par gradus; eodem sensu cap. 4. Dicit insuper, ait: Sacra sancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & ceterorum ordinum, nec populi, &c. auctoritatem sua requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio.* Ordo in hac passiva significatione non est sacramentum strictè, & propriè, sed effectus sacramenti. Idem Concil. usurpat ordinem actiue pro ordinatione, seu actione collatiua ordinis passiue sumpti, simulque definit, secundum eam significationem esse sacramentum, tum sess. 23. can. 3. dicens: *Si quis dixerit Ordinem, siue sacramentum ordinationem, non esse verè, & propriè sacramentum à Christo Domino institutum; anathema sit;* tum sess. 7. can. 1. de sacramentis, dum definit ea esse septem, atque inter reliqua numerat ordinem. Quare posterior ista significatio actiua ordinis, pro ordinatione, seu actione exteriori significatiua simul, & collatiua gradus alicuius, & præminentia spiritualis; usurpabitur à nobis etiam plerumque, quæ aliis quoque authoribus est familiaris in præfenti.

Artic. 3. Itaque Ordinem esse verè Ecclesie sacramentum, quoad aliquem gradum sub ea voce contentum, præterquam quod constat clare ex duplici definitione Tridentini, modo præmissa, & ex decreto Eugenij promulgato in Concilio Florentino, eodem sacro approbante Concilio; colligitur apertè ex sacris litteris. Primum enim constat ex Act. 6. & ex ad 1. Timoth. 4. Apostolos vsos fuisse actione exteriori, symbolicè significatiua effectus, quem inducere volebant, cum promouerent aliquem ad Diaconatum, vel Sacerdotium. Vtrumque enim conferebant imponendo manus super capita promouendorum, seu eorum, qui promouebantur, eundemque modum

modum promouendi vsurpauit semper, & vsurpat Ecclesia, vt liquet ex omnibus eius Ritualibus antiquis, & modernis, atque ex frequentibus Pontificum, & Patrum testimoniis, quae videri possunt apud Vasquez disp. 136. aliosque in praesenti. Impositio autem manuum significat symbolicè promotionem ad gradum aliquem praëminentem, quatenus moris antiqui fuit, vt obseruat inter alios Vasquez, vt electio, & promotio candidatorum ad munera Reipublicae, fieret per manus elevationem, cui optimè correspondet impositio manus super caput promouendi, facta à promouente. Eadem symbolica significatio, & analogia apparebit clarè in actionibus aliis exterioribus, quibus vtitur Ecclesia in ordinando, dum eas exponemus quaest. 104. apparet verò clarissimè ex adiuncta formula verborum, de qua dicitur ibidem. Constat rursus actionem eiusmodi exteriorem, ac sensibilem fuisse collatiuam gratiae, & consequenter, nunc etiam talem esse. Constat inquam id ex praedicta Epistola ad Timoth. 4. 14. vbi Apostolus hortatur Timotheum his verbis. *Noli negligere gratiam, qua in te est, qua data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Vbi turbare neminem debet. *Tò per prophetiam,* quasi determinet gratiam, quae immediatè praecessit, ad gratiam gratis datam prophetiae. Falsum enim hoc est. Primum, quia cum confertur alicui ab aliquo gratia aliqua gratis data, non id fit ex vi eiusdem gratiae, quatenus praesupposita in conferente, sed ex alia eiusdem ad id potestate, siquidem non quilibet praehabens gratiam aliquam, gratis datam, potest eo ipso, eam, cui vult, communicare. Deinde quia gratia absolute sumpta, vt sumitur ab Apostolo, supponit pro gratia sanctificantem. Demum, quia, ex communi interpretum consensu, prophetia ibi ponitur, vel pro reuelatione Diuina, quam habuit Apostolus de ordinando, ac promouendo Timotheo, vel quod magis credo, pro formula verborum diuinitus instituta ad ordinandum, ac promouendum iuxta phrasim scripturae vocantis prophetiam, quemlibet promiscuè diuinitus traditum sermonem, tamen nihil praedicat de futuro, vt apparet inter alia ex 1. ad Corinth. 14. semel, atque iterum. Eadem collatio gratiae per eandem exteriorem caeremoniam apparet rursus ex verbis Apostoli, 2. ad Timoth. 1.6. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei qua est in te per impositionem manuum mearum.* Vbi *Tò per impositionem* significat, quam clarissimè causalitatem intem gratiae. Ex his autem duobus consequitur manifestè, ordinem esse Sacramentum, quandoquidem conceptus Sacramenti saluatur re ipsa adaequatè in quolibet exteriori, & sensibili significante, & conferente gratiam, vt patet ex dictis in communi. Igitur Ordo, secundum aliquem saltem gradum, est verum Ecclesiae sacramentum.

Artic. 4. Idem suadetur ratione Theologica. Quia cum Deus instituerit alia sacramenta omnibus fidelibus communia, quibus sensibilibus gratiam illis conferat, omnino oportuit, vt institueret similiter sacramentum, per quod crearentur itidem sensibilibus, idonei ministri priorum sacramentorum iuxta illud 2. ad Corinth. 4. 1. *Et nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Nec enim existimari sic posset, si nullum daretur signum practicum sensibile per quod innotescerent simul, ac fierent eiusmodi ministri, ac dispensatores. Certè non vsque adeò conuenienter innotescerent, ac fierent, visibilibus, ac sensibilibus sacramentorum ministri, & dispensatores, si innotescerent, ac fierent absque sacramento sensibili itidem, ac visibili. Confirmatur, quia datur sacramentum Baptismi collatiuum gratiae, & potestatis, vt quisque reddatur idoneus ad suscipienda sacra-

menta caetera. Ergò ratione multò maiori oportuit, vt institueretur sacramentum collatiuum gratiae, & potestatis requisitae, & sufficientis ad perficienda, & conferenda sacramenta caetera, quandoquidem non minus, sed multo magis requiritur ad actionem, quam ad passionem, atque ad agendum dignè, quam ad dignè suscipiendum.

Artic. 5. Quia verò sacramentum Eucharistiae, est finis reliquorum omnium sacramentorum, ideoque est nobilissimum inter omnia sacramenta, vt dictum est supra in communi quaest. 35. clarè apparet idem sacramentum esse finem praecipuum, ad quem principaliter ordinatur potestas omnis collata per sacramentum ordinis. Vniuscuiusque autem rei natura innotescit praecipuè, relatè ad suum finem principalem, ad quem caetera omnia, quae eidem insunt reuocantur. Optima igitur ratione explicatur natura, & quidditas huius sacramenti, relatè ad venerabile Eucharistiae sacramentum, licet autem Ordo simul cum potestate, ad peragendum mysterium Eucharistiae, conferat etiam gratiam ad idem dignè peragendum, atque haec gratia longè praëmineat illi potestati; expositio: nihilominus eiusdem sacramenti, quoad conceptum eius specificum, fieri potius debet per expressionem eius potestatis, quam per expressionem gratiae. Quia vis collatiua gratiae est communis huic sacramento, cum reliquis omnibus sacramentis; vis verò collatiua potestatis ad peragendum mysterium Eucharistiae, est propria, & peculiaris eidem. Quidditas autem, cuiusque rei manifestatur maximè per manifestam expressionem eorum, quae sunt propria, peculiaris ipsius, caeteris subsignificatis obscurius, per praedicatum aliquod genericum, sicuti subsignificatur in definitione proposita, vis collatiua gratiae per particulam *Sacramentum*, de cuius conceptu est vis collatiua gratiae. Concluditur itaque ex his omnibus Ordinem esse sacramentum collatiuum potestatis, ad mysterium venerabilis Eucharistiae ritè peragendum.

Ad 1. Gradus dignitatis, & praëminentiae, qui acquiritur per sacramentum Ordinis ex sua natura est deuiectus utilitati eorum, qui subiiciuntur ordinato, quia est gradus ministrantium, & dispensantium aliis mysteria Dei, vt nuper dicebatur ex Apostolo; subiectio autem, quae est ad utilitatem subiecti, non apponitur libertati, nec continet in se, aut inducit seruitutem, sed illam perficit, & ab ista liberat. Similiter praëminentia officij, quam confert sacramentum Ordinis, non repugnat humilitati, quae praëmiens officio reputat se inferiorem merito, sed potius obligat ad peculiare studium eiusmodi humilitatis. Demum humana natura licet in omnibus hominibus sit vnus infimae speciei formaliter: Aequiualenter tamen multiplicatur specie in diuersis indiuiduis propter collectionem accidentium dissidentem specie formaliter, in diuersis indiuiduis, ratione cuius alij sunt melioris ingenij, iudicij, indolis, maiorisque probitatis, quam alij. Ideoque euadunt capaces diuersorum officiorum, atque operationum diuersarum. Cuiusmodi nihil contingere potest, aut in Angelis, aut in irrationalibus, ideoque non tenet paritas. Nullum igitur inconueniens sequitur ex obiectis in argumento.

Ad 2. Non consideratur Ordo in praesenti secundum suum conceptum genericum, nec quatenus est indifferens ad significationem actiuam, & passiuam, sed sumitur determinatè prout significationem, quae homo homini confert gradum aliquem praëminentiae spiritualis, respectu aliorum, vt praenotatum est initio. Ordo autem eo modo sumptus includit in se aliquid sensibile indicatiuum potestatis spiri-

V u ritualis

ritualis, quod nomine elementis materialis intelligitur ab Hugone, ideoque non est communis Angelis, aliisque Beatis, qui non indigent materialibus signis; nec est communis gradibus dignitatum Reipublicae temporalis, qui nihil spirituale, ac supernaturale in se continent, eaque de causa sunt longè minoris momenti, quam gradus Ecclesiasticae dignitatis, qui propterea soli congruenter intelliguntur antonomastice, nomine Ordinis absolute prolato inter fideles eleuatos lumine fidei ad veram rerum aestimationem, & graduationem.

Ad 3. Ordo non sumitur in praesenti pro relatione, & habitudine mutua superiorum, & inferiorum inter se, sed pro fundamento eius relationis, & habitudinis, quod est gradus vnicuique eorum determinatè conueniens. Et quia hic gradus praecipit in superioribus, ideo, nomen Ordinis attribuitur ipsi absolute, nec res significata est inferioribus communis.

Ad 4. Potestas facti conueniens, ministris Ecclesiae relatè ad mysterium Eucharistiae est longè excellentior absolute, quam potestas iurisdictionis, atque haec in illa fundatur, vnumquodque autem debet exponi per id, quod est nobilissimum in ipso, & fundamentale respectu ceterorum.

Ad 5. Omnes illae definitiones conuepiunt re ipsa cum nostra definitione. Quia omnes expriment praedicatum aliquod conuertibile re ipsa cum praedicato à nobis expresso, vt patet consideranti, solumque differunt à nobis, quatenus non expriment formaliter, quod est praestantissimum in hoc sacramento, nempe respectum ad sacramentum Eucharistiae, quod est sacramentum sacramentorum, vt dicit Dionysius cap. 3. Ecclesiasticae Hierarchiae, ideoque omnis potestas spiritualis intrinsecè est in Ordine ad ipsum, vel in eo Ordine fundatur. Qua de causa D. Thomas quaest. 37. artic. 2. subdit sic: *Et ideo definitio ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam.* Adde aequè verè propter eandem rationem: *Et ideo definitio Ordinis ipsiusque Ordinis vt sic est, &c.* Nihil igitur peccatum est contra realem intentionem communiter definientium. Quod dicit D. Thomas, characterem interiore, esse essentialiter, principaliter sacramentum Ordinis, non verificatur de sacramento strictè sumpto pro signo symbolico, sed de sacramento latè sumpto, pro quodlibet ducente in cognitionem alterius rei. Definendum autem erat ipsum sacramentum strictè sumptum pro signo externo effectus interni, ac spiritualis.

Ad 6. Praeminet quidem collatio gratiae collationi potestatis circa Eucharistiam. Sed illa est communis omnibus sacramentis, haec verò conuenit specialiter Ordini, atque definitiones sunt maximè per conceptus differentiales.

Ad 7. Potestas spiritualis collata per Baptismum, est passiva; actiua verò, quae confertur per Ordinem. Vnde haec est nobilior, quam illa, ideoque dignior, quae per definitionem exprimitur. Adde cum D. Thomas qu. 34. artic. 1. ad 2. collationem gratiae esse effectum principalem Baptismi propter quem ipse existeret, tamen nullus imprimendus esset character, nullaque communicanda ulterius potestas ipsi Baptizato; in Ordine verò è conuerso, effectus principaliter intentus est collatio potestatis spiritualis, propter quam daretur hoc sacramentum, tamen conferenda non esset gratia sanctificans. Ratio est, quia Baptismus Ordinatur ad bonum particulare baptizati, atque bonum eius maximum, est gratia sanctificans. At sacramentum Ordinis confertur, principaliter propter bonum communitatis, vt dictum est supra quaest. 35. atque communitatem respicit ordinatus, non per gratiam sanctificantem, sed per potestatem spiritualem ministrandi fidelibus. Patet au-

tem in definitione poni debere id, propter quod principaliter res est, & quo sublato ea non esset.

Q V A E S T I O C I I I.

Verum Ordines Ecclesiastici sint septem?

Videntur non esse septem, sed plures, vel pauciores, vel vnicus tantum. 1. Quia vbi actio est vna tantum, necesse est potestatem quoque, quae ad actionem ordinatur esse vnam tantum. Ordo autem est potestas ordinata ad actionem, quae peragitur sacramentum Eucharistiae, atque haec actio est vna tantum secundum speciem, sicut est vnum ipsum sacramentum, quod est eius terminus. Ergo Ordo Ecclesiasticus est vnus tantum secundum speciem.

2. Si Ordines Ecclesiastici essent plures; ordinationes quoque, & sacramenta ordinatiua essent plura. Sacramentum autem ordinis est vnum tantum secundum speciem, vt dictum est supra in communi quaest. 34. Et confirmatur, quia, quo aliqua virtus est perfectior, eo minus multiplicatur. Sacramentum autem Ordinis est perfectius, quam alia sacramenta praeter Eucharistiam, & tamen nullum ex reliquis sacramentis distinguitur in plura sacramenta, quae recipiant praedicationem eiusdem nominis. Ergo multo minus sacramentum Ordinis potest sortiri eiusmodi distinctionem. Confirmatur rursus, quia si essent plura sacramenta Ordinis, eadem essent plura sacramenta simpliciter, quia multiplicato genere infimo necesse est multiplicari genus omne remotum, cui subest illud proximum, sicut multiplicatis specie animalibus, aut plantis, eo ipso multiplicantur viuientia, & substantiae, & entia. Cum ergo Ordo sit vnum sacramentum tantum, necesse est Sacramentum quoque Ordinis esse vnum tantum, ac proinde, & Ordinem etiam esse vnum tantum.

3. Communitas quae subest vni soli, est nobilior, quam communitas, quae subest multis, ideoque praefertur Monarchia Aristocratiae, vt habetur ex 8. Ethic. cap. 10. Ecclesia autem Dei est communitas nobilissima, & ceteris omnibus communitatibus perfectior, utpote à Deo immediate constituta. Ergo tota subest vni soli. Ergo in Ecclesia Dei vnus tantum datur praeminentiae gradus, & Ordo.

4. Ordines, & gradus Hierarchici multiplicantur secundum multiplicatam actuum Hierarchicorum, ad quos ordinantur. Actus autem Hierarchici tres tantum numerantur à Dionysio, cap. 5. Eccles. Hierarch. Ergo Ordines Hierarchici, quales sunt omnes Ordines Ecclesiastici, sunt tantum tres iuxta doctrinam eiusdem ibidem.

5. Ordines Ecclesiastici non sunt plures, nec pauciores, quam quos Christus instituit, & tradiderunt Apostoli. Non autem legitur Christum instituisse, aut Apostolos tradidisse alios Ordines, quam Presbyterorum, & Episcoporum. Quia vt dicit S. Anaclet. Epist. 3. cap. 2. *Amplius, quam isti duo Ordines Sacerdotum, Presbyterorum, & Episcoporum, nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Ergo duo tantum sunt Ordines in Ecclesia, Episcopatus, & Presbyteratus. Certè de nullis aliis constat, aut ex Actis Apostolorum, aut ex Epistolis Pauli, aut ex illa alia scriptura Canonica.

6. Nulla est maior ratio annuerandi inter Ordines Ecclesiasticos, munera alia inferuendi Ecclesiae, quae communiter Ordines nuncupantur, quam annuerandi inter eosdem primam tonsuram, ratione cuius redditur quis habilis ad psallendum in Ecclesia, &

& ad habenda beneficia Ecclesiastica necnon Episcopatum ratione cuius redditur quis habilis ad confirmandum, & ordinandum, atque ad alias functiones supremas Ecclesiæ. Admissis autem his duobus ordinibus, ultra communiter receptos, qui sunt septem, resultat nouenarius Ordinum numerus. Addi præterea debet Ordo fossariorum cuius meminit D. Ignatius in Epist. ad Antioch. & quem exponit auctor Epistolæ ad Rusticum Narbonensem apud Hieronymum tom. 9. dicens cap. 1. *Primus igitur (infimus) in Clericis fossariorum (fodientium sepulcras) Ordo est, qui in similitudinem Tobie sancti sepelire mortuos admonetur*; Ergo Ordines Ecclesiastici sunt plures quam septem.

Artic. 1. Respondetur. Septem esse Ordines, seu gradus Ecclesiasticos, & nec plures, nec pauciores, plura conuincunt grauissima testimonia, & ratio conuenientie efficaciter persuadet. Primum enim Concil. Trid. sess. 23. cap. 2. non solum septem istos ordines propriis nominibus enumerat, Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, sed addit insuper de Sacerdotibus, & Diaconis sacras litteras apertam mentionem facere, atque Subdiaconatum ad maiores Ordines à Patribus, & sacris Conciliis referri, & in eisdem de aliis quoque quatuor inferioribus Ordinibus frequentissime legi, ac demum cognosci eorundem nomina, atque vniuersiuique eorum propria ministeria, ab ipso Ecclesiæ initio in vfu fuisse. Idem apparet ex Clem. Rom. lib. 8. const. cap. vlt. S. Ignatio Epist. 11. ad Antiochenos Cornelio Papa in Epist. ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium lib. 6. cap. 23. ac demum ex duplici Concilio, quorum alterum est Romanum sub Syluestro 1. cap. 3. alterum Carthag. 4. cui subscripsit Augustinus cap. 2. Eundem numerum ordinum, & ministrorum Ecclesiæ docent communiter Theologicum Mag. in 4. dist. 24. & cum Diuo Thoma ibidem qu. 2. artic. 1. quæ in suppl. sunt quæst. 37. arti. 2.

Artic. 2. Rationem pluralitatis ministrorum Ecclesiæ deriuat Concil. Trid. in dicta sess. 23. cap. 1. & 2. ex institutione sacro-sancti Eucharistiæ sacrificij, relate ad quod explicata à nobis in qu. præcedenti essentia sacramenti Ordinis. *Sacrisacrum*, enim ait cap. 1. & *Sacerdotium*, ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut vtrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in nouo testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, sateri etiam oportet, in ea nouum esse visibile, & externum sacerdotium, in quod vetus translatus est. Ordine autem sacerdotij, hac ratione stabilito pluralitatis Ministrorum illi inferuentium rationem superaddit cap. 2. initio. *Cum autem diuinares sit, tam sancti sacerdotij ministerium, consentaneum fuit quò dignius, & maiori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures, & diuersi essent ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent.* Rationem istam vniuersalem Concilij attingit etiam D. Thomas loco indicato, eamque distinctè ad sex sub sacerdotio gradus ministrorum deducit. Quia nimirum ministri inferiores sacerdote, cooperantur ipsi, vel quoad ipsum sacramentum, vel quoad suscipientes, atque vtralibet cooperatio est triplex. Prima quoad ipsum sacramentum cooperatio est, dispensatio eius; Secunda est, materiæ consecrandæ ordinatio, ac depositio in sacris vasis. Tertia est eiusdem materiæ presentatio, ac exhibitio ad Altare. Dispensatio sacramenti, pertinet ad Diaconum: Ordinatio, ac dispositio materiæ, ad Subdiaconum; eiusdem exhibitio, ac presentatio, ad Acolytum, ut clariùs apparebit ex dicendis, quæst. 104. & quæst. 107. Iam cooperatio ministrorum, quoad suscipientes, versatur circa indignos, ac immundos, cum qui digni, ac mundi

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

sunt nulla cuiusquam indigeant cooperatione, ut accedant ad sacramentum Eucharistiæ. Indigni autem, ac immundi, alij sunt pertinaciter infideles, alij infideles quidem, sed volentes fidem amplecti, Catholice, ac sanctè viuere, alij fideles quidem, & benè instructi, sed impediti ex demonis potestate, nempe enervamenti. Pertinaciter infideles, excludendi sunt totaliter à cætu fidelium, & non solum ab vfu, sed etiam à visione diuinorum, ut dicit Dionys. cap. 3. Eccl. His, atque iis arcendis inferuit Ostiarius, claudendo illis ostium, seu negando aditum. Volentes credere, & inire viam salutis, instruit lector; legendo prima rudimenta doctrinæ fidei. Obsessis demum à demone, subuenit Exorcista. His autem peractis cum alijs, quæ secundario pertinent ad eosdem respectuè, nihil præterea superest, in quo sacerdos indigeat cooperatione inferiorum ministrorum. Tot igitur, actus, & non plures sunt ordines, & gradus ministrorum Ecclesiæ.

Artic. 3. Sciendum porrò est tres priores ordines Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, dici communiter, & esse maiores, ut liquet ex Concil. Trid. dicto cap. 2. Et quidem Presbyteratus meritò dicitur Ordo maior; quia immediatè exercetur circa corpus, & sanguinem Christi Domini. Diaconatus verò, & Subdiaconatus eodem nomine censentur, quia immediatè assistunt, & cooperantur sacerdoti in Altari modo dicto, ideòque ad dignitatem eius proximè accedunt. Quod reliquis quatuor ordinibus, minimè conuenit, ideòque dicuntur minores. Soli iidem tres ordines maiores, dicuntur sacri. Quod nonnulli putant, ideò factum esse, quia sola eorum trium ordinum collatio est verum sacramentum. Sed hæc ratio non subsistit. Primò quia plures Authores putant reliquorum etiam quatuor ordinum collationem, esse sacramentum, & nihilominus non dicunt illos sacros, sed non sacros, sicut è conuerso aliqui putant ordinationem Subdiaconi non esse sacramentum, & nihilominus Subdiaconatum dicunt Ordinem factum. Secundò, & principaliter, quia Subdiaconatus non fuit olim Ordo sacer, sicut iam est, ut tradit Innocentius III. cap. *A multis* 9. de ætate, & qualitate ordinatorum. Constat autem non potuisse ordinationem Subdiaconi transire de non sacramento in sacramentum, quia quod talis sit, vel non sit, dependet ex institutione Christi, quæ inuariabiliter semper est eadem. Ratio igitur legitima est, quia Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus habent annexum votum continentie, ratione cuius, Ordinati consecrantur Deo, in perpetuum, nec possunt denno fieri seculares, olim poterat Subdiaconus, & modo quoque possunt, qui solos habet quatuor ordines minores.

Artic. 4. Superest determinanda difficultas modo attacta de ratione sacramenti conueniente, vel non conueniente ordinationi prædictorum septem ministrorum Ecclesiæ. Certum primò est ex fide ordinationem, tum Presbyteri, de quo nemo dubitat, tum etiam, ut mihi quidem videtur, Diaconi, esse verè, & propriè sacramentum. Certum rursus est, licet non vsque adè, quatenus non est certum ex fide, ordinationem quoque Subdiaconi esse similiter sacramentum. Probabilius denique est, reliquas etiam quatuor ordinationes habere rationem sacramenti propriè talis. Circa sacerdotium, de quo nemo dubitat, nullum necesse est superaddere argumentum, ultra ea, quibus in quæst. præcedenti ostensum est ordinem esse verum sacramentum. Quia loca Apostoli ibi producta loquuntur de ordinatione Presbyteri, atque Concilium Florentinum, ac Tridentinum definitiua Ordinem esse sacramentum, inter Ordines primum numerant Presbyteratum, idemque procul dubio est præcipuus, ac proinde de ipso, vel maximè verificatur definitio, de ratione

V u 2 sacramenti

sacramenti conueniente ordini, sed neque dubitari debet de Diaconatu. Tamen enim Caiet. tom. 1. opusc. tract. 11. & Duran. in dicta dist. 24. quæst. 2. artic. 1. aut sint dicere, nullam ordinationem Presbyteratu inferiorem, esse verum sacramentum; vnanimis tamen reliquorum omnium Theologorum consensus indubitanter tenet oppositum. Qui quidem Authorum firmissimus consensus, per se ipsum facit argumentum minimè contemnendum in hac præsertim materia, quæ ex traditione dependet. Traditio enim maximè innotescit ex Authorum Catholicorum olim, & nuper scribentium firma consensione. Accedit Diaconatum conferri per manus Episcopalis impositionem & dicente Episcopo: *Accipe Spiritum Sanctum*, vt liquet ex Actor. 6. & Rituali Romano. Impositio autem manus Episcopalis est significatiua, & collatiua gratiæ, vt apparet ex locis supra indicatis, 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. atque ibidem, & alibi observant communiter Sancti PP. alique Interpretes. Verba item illa Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum*, esse similiter significatiua, & collatiua gratiæ, colligitur efficaciter ex definitione Trid. sess. 23. can. 4. *non frustra dicere Episcopum, Accipe Spiritum Sanctum*, idest, vt apparet ex periodo immediatè præcedenti, per ea verba dari Spiritum Sanctum. Canon enim est talis: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere. Accipe, &c. anathema sit.* Patet autem caeremoniam sensibilem, realem, & verbalem, significatiuam, & collatiuam gratiæ, esse sacramentum. Accedit rursus Anastasium II. in Epistola ad Anastasium Imperatorem cap. 7. disertè docere, per ordinationem Presbyteri, & Diaconi, conferri gratiam sacramenti, de ratione sacramenti in subdiaconatu nullum est fundamentum vsque adeò virgens, nec tanta illi fauet authorum consensio. Longè nihilominus probabilius est, eum quoque esse verum sacramentum, quia hæc est maiorum, & longè plurium Doctorum sententia cum D. Thoma, & D. Bonaue. in illa dist. 24. & vltra fundamenta, quæ mox producentur circa ordines minores, id præterea non parum habet ponderis, quòd Subdiaconus, & exercet suam potestatem, circa rem consecratam, nempe circa vasa consecrata, sicut Presbyter, & Diaconus circa panem, & vinum consecratum exercentur, & habet votum continentiae sibi annexum. Vtroque hoc titulo specialiter indiget gratia Spiritus Sancti, quam proinde credendum est eum accipere ex vi suæ ordinationis. Demum, vt asseram quatuor etiam ordinationes minores esse vera sacramenta, tria fundamenta sufficienter persolvant. Primum est, hanc esse communiorum Theologorum sententiam cum D. Thoma, quæst. 37. artic. 2. & 3. Nec enim in re vsque adeò graui, & pendent à traditione, honestum, & laudabile est deferere communiorum sensum sapientissimorum hominum, vt observat inter alios Valentia disput. 9. qu. 1. p. 4. §. *atque hac sententia.* Secundum maioris momenti fundamentum est, quia Concilium Florentinum, & Tridentinum vbi supra, dum definiunt ordinem esse sacramentum, nullam quoad id distinctionem, aut constitutum, aut etiam leniter indicant, inter ordines maiores, & minores, tametsi de vtrisque seorsim meminerint. Et quidem Tridentinum, cum seriem, & nomina omnium septem ordinum distinctè præmisisset in illo 2. cap. mox in cap. 3. indistinctè pronunciat, Ordinem esse sacramentum. Florentinum verò præmisso, Ordinem esse sacramentum, subdit deinde materiam eius, esse rem, quæ traditur ab Episcopo, & formam, esse verba, quibus traditur, atque vtraque hac parte sacramenti distinctè tradita circa sacerdotium. Diaconatum, & Subdiaconatum,

concludit demum, sic etiam intelligi debere in reliquis ordinibus. Non autem sic intelligi deberet, nisi sacramentales sic essent res etiam, & verba, quæ pro ipsis adhibentur. Tertium fundamentum est, quia non magis iterantur ordines minores, quàm maiores, & vtrique conferuntur per consecrationem quandam. Hæc autem duo simul, quam vim habeant ad persuadendam rationem sacramenti, colligi potest ex verbis Augustini lib. 2. contra Epist. Perman. cap. 13. vbi ordinem comparat cum Baptismo, dicens: *Vtrumque sacramentum est & quadam consecratione vtrumque homini datur. Illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in Ecclesia Catholica vtrumque non licet iterari.* Vnde concludit: *Vtrumque sacramentum est*, vtiq; sicut Baptismus, de quo nemo dubitat cum quo coniungitur Ordo. Accedit functiones, quibus exercentur quatuor minores ordines, tametsi secundum se sint faciles, nec sint magnæ perfectionis, atque à laicis quoque præstari absolute possunt esse nihilominus valdè excellentes, quatenus referuntur ad venerabile Eucharistiæ sacramentum, ad quod ipsi etiam ordines ex intentione Ecclesiæ referuntur, & præterea conferuntur inamissibiliter, ideoque addicunt Altari ordinatos permanentes, ac perpetuò, per se loquendo, licet cum permissione recedendi à ministerio, & habitu. Rationabiliter igitur creditur per prædictas ordinationes imprimi characterem, & conferri gratiam sanctificantem, atque peculiaris auxilia actualia, quibus prædictæ functiones, vt par est, exhibeantur.

Artic. 5. Circa Presbyteratum observare specialiter oportet, illum conferri per duas partiales ordinationes, vt dicitur in quæstione sequenti, quarum altera confert potestatem ad conferendum corpus, & sanguinem Christi, altera ad remittendum peccata. Potestas remittendi essentialiter præsupponit potestatem consecrandi, nec independentem ab eadem seorsim dari, aut existere potest. At potestas consecrandi potest existere absque potestate remittendi, nec ab ea essentialiter dependet. Vnde eatenus potestas consecrandi ratione suæ maioris indifferentiæ, comparatur cum potestate absolventi, tanquam materia cum forma, & sicut materia, & forma inuicem coniunctæ constituunt compositum, quod est vnum per se; ita vtraque ea potestas coniunctim existens, constituit vnum ordinem, vnitatem per se. Eadem ratione, Episcopatus coniunctus cum Presbyteratu, constituit similiter vnum ordinem vnitatem per se, & propriè tali. Quia videlicet Episcopatus supponit, & ipse essentialiter Presbyteratum, eidemque accedit, sicut virilitas iuuentuti. Quia verò Episcopatus minus perfectionis sepe addit per se seorsim, quàm quæ præsupponitur in Presbyteratu secundum se, vt observant Vasquez, & alij, propterea, tùm gradus Presbyteri seorsim, tùm idem, vt coniunctus cum gradu Episcopali, eodem communiter nomine Presbyteratus censetur indiuisum, vnumque solum ordinem constituit. Non est eadem quoad hoc ratio de reliquis gradibus Ecclesiasticis superius enumeratis, si inter se similiter conferantur. Quia nullus eorum reliquos gradus, aut aliquem ex reliquis gradibus essentialiter præsupponit, sicut dictum est Presbyteratum præsupponi ab Episcopatu. Vt dicitur quæst. 106. & 107. Vnde Presbyteratus exempli gratia, non est essentialiter modificatiuus, seu quasi modificatiuus respectu Diaconatus, aut Subdiaconatus, sicut dictum est Episcopatum esse intrinsecè modificatiuum Presbyteratus, eademque est ratio de reliquis gradibus, quoad mutuanon dependentiam essentialem, ideoque vnusquisque eorum constituit peculiarem ordinem distinctum simpliciter à reliquis. Ex his igitur omnibus apparet ordines Ecclesiasticos absolute,

lutè, & simplices esse septem, & non plures, nec pauciores, illisque omnibus conuenire rationem sacramenti propriè, & strictè talis, licet cum dispari certitudinis gradu, respectu singulorum.

Ad 1. Licet actio perfectiua Eucharistiæ sit vna secundum speciem infimam, ipsiusque secundum suam substantiam vnus tantum sit minister, qui perficere possit nihilominus ad tantum mysterium ritè peragendum plures præterea aliorum inferiorum ministrorum actiones, & cooperationes requiruntur, vt præmissum est artic. 2. ex Tridentino. Sacramentum autem Ordinis expositum à nobis est, relatè ad mysterium Eucharistiæ non vtrunque, sed quatenus ritè peragendum.

Ad 2. Ratio ob quam ordines, & gradus Ecclesiastici absolute dicantur pluraliter, & tamen non dicantur pluraliter absolute ordinationes, seu sacramenta ordinis, tamen actiones ordinatiæ tantumdem necessariò inter se differant, atque ordines per ipsas collati; hæc videtur esse legitima, quia videlicet actiones ordinatiæ inducunt, circa vnumquemque ordinatum, gradus inuicem coniungendos ex intentione Ecclesiæ ordinantis, quousque ex omnibus gradibus inuicem coniunctis vnus demum efficiatur perfectus minister, qui est presbyter. Quam vniuersalem Ecclesiæ ordinantis intentionem, non obscure significat Conc. Trid. sess. 23. cap. 7. dùm dicit in Ecclesiæ dispositione ita plures, & diuersos ordines esse distributos, *vt qui iam Clericali tonsura insigniti essent, per minores, ad maiores ascenderent.* Mirum igitur non est, si actiones ex intentione operantis tendentes ad vnitatem, vna moraliter actio reputentur, atque eatenus dicantur vnum absolute sacramentum. At verò ordines, & gradus in vnoquoque ordinato recepti non referuntur ad terminos similiter vniendos inter se quousque vnum aliquid perfectum ex illis omnibus inuicem coniunctis resulter, vt patet consideranti operationes ministrorum enumeratas, & subindicatas artic. 2. Atque manifestum est non ita coalescere vnum perfectum Eucharistiæ sacramentum ex iis, quæ peragunt Ostiarius, Lector, Acolythus, &c. sicut resulat vnus perfectus minister Eucharistiæ, qui est sacerdos, præmissis circa eundem actionibus ordinariis, Ostiarij, Lectoris, Acolythi, &c. Hac igitur de causa ordines, actiue sumpti, seu actiones ordinatiæ, sunt omnes vnicum absolute sacramentum, tamen termini per eas actiones inducti, seu ordines passiuè sumpti, quatenus ad suas vltèrius actiones singuli referuntur sunt plures, & pluraliter dicantur absolute. Quapropter sacramentum ordinis est vnum quoddam totum, non integrale, aut vniuersale, sed potentiale, vt dicit D. Thom. quæst. 37. artic. 1. ad 2. Nempe totum potentiale ex sua natura hoc habet, vt secundum suam rationem completam sit in vno, sicut est ordo in Presbytero, in alijs verò sit per participationem tantum, sicut est ordo in alijs quibuslibet inferioribus ministris, multiplicando eatenus tantum, & non simpliciter genus, tam proximum, quam remotum; Alia sacramenta non habent operationes ita inuicem subordinatas, sicut dictum est, esse inuicem subordinatas actiones pertinentes ad sacramentum Ordinis, ideòque non tenet paritas. Ex quibus patet etiam ad confirmationes.

Ad 3. Monarchiæ gubernatio non repugnat ratione suæ perfectionis multitudini ministrorum inferiorum, tum æqualium, tum inæqualium inter se, dummodo omnes ad vnum supremum demum reuocentur & sic est in Ecclesia Dei.

Ad 4. Dionysius in illo libro non considerat Ordines actiue sumptos, quatenus sacramenta sunt, nec passiuè sumptos, quatenus referuntur ad actiones sacras, cooperantes sacramento Eucharistiæ ritè peragendo.

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

sed solum de illis loquitur passiuè sumptis, relatè ad solas actiones Hierarchicas, quæ sunt tres. Vnde eius autoritas eo in loco nihil facit ad propositum. Ita enim abstruit tres ordines Hierarchicos, vt nec totidem astruat, nec plures neget, ordines sacramentales.

Ad 5. Plures superioribus dictum est, non omnia, quæ Christus gessit, quæque ab eo Apostoli acceperunt reperi in sacris litteris, sed plura haberi per traditionem, de qua quoad rem præsentem, certò, ac legitime constat ex Concilijs, & Patribus superius indicatis. Deinde in Ecclesia primitiua propter paucitatem fidelium, ministri quoque Ecclesiæ erant admodum pauci, ideòque omnia ministeria committebantur solis Presbyteris, & Diaconis, quibus inest legitima facultas ad omnia, quæ præstare possunt ministri inferiores, de quibus proinde mentio fieri pro tunc nulla potuit, quia nondum erant. Ceterum propagata deinde Ecclesia, & crescente numero fidelium, inducta est multitudo maior ministrorum, pro decenti cultu Diuino, iuxta tamen institutionem Christi Domini, & traditionem Apostolicam, quibus attestatur vsus, & sensus perpetuus Ecclesiæ. Quapropter dictum Anacleti, duos solos ordines collatos à Deo, & ab Apostolis edoctos esse, accipiendum est, de collatione immediata per se ipsum, non de institutione, atque de doctrina scripta, non de verbaliter tradita. In eundem sensum accipitur à D. Thoma, & ab alijs communiter, quod dicit magister in 4. dist. 24. Ecclesiam alios ordines sibi instituisse, nempe institutione latè sumpta, vel pro prima ordinatione, vel pro lege ordinandi, incipiendo à tali determinata eò tempore, atque simili modo temperandæ sunt similes aliæ aliquorum locutiones, quandoquidem de asserta à nobis veritate, certò constat ex clarissimis, iisdemque maximis testimonijs. Deinde, quod ad Anacletum specialiter attinet, ipse non dicit, duos tantum ordines vniuersaliter, sed sacerdotium, quos certum est apud omnes duplici tamen differentia contineri.

Ad 6. Omnes ferè Theologi excludunt primam tonsuram à numero, & ratione ordinum Ecclesiasticorum. Quia vt dicit D. Thomas, qu. 40. artic. 2. de conceptu Ordinis est peculiaris potestas spiritualis ad functionem determinatam in cultu Dei, & in peragendo venerabili Eucharistiæ sacramento. Prima autem tonsura nullam eiusmodi peculiarem potestatem confert, sed solum inducit ad ministerium dicendi laudes diuinas, quod est commune omnibus Ecclesiæ ministris. Vnde non est Ordo sed præambulum ad Ordines, eorumque basis, & fundamentum, vel vt dicit Vasquez pauimentum, & adhibetur homini, vt ordinetur, sicut oleo adhibetur benedictio, vt ex eo fiat sacramentum. Confirmatur ex Concil. Trid. sess. 23. semel atque iterum distinguente clarè primam tonsuram ab ordinibus, tanquam aditum, & dispositionem ad illas, cap. 1. & 6. Dicitur nihilominus Ordo clericalis, in capite *cum contingat*, de ætate, & qualitate ordinandorum, & character clericalis, in Bulla Sixti V. quæ incipit, *sanctum & salutare*, ordine, & character latè sumptis, pro statu quodam spirituali, cuiusque insigni, ratione cuius iure Ecclesiastico confertur, initiatis prima tonsura, priuilegium fori, capacitas beneficiorum, & dispositio ad ordines. Ratione multò manifestiori, negatur ratio ordinis muneri forariorum. Qui videlicet, nullum obtinent præminentie gradum, aut potestatem specialem in cultu Dei, & Altaris. Vnde ordo eorum latissime talis dicitur pro deputatione ad opus pium. Demum Episcopatus certissime est ordo, vt dictum est, & dicitur iterum infra, sed non est ordo absolute, & simpliciter distinctus à Presbyteratu, vt dictum est artic. 5.

QVÆSTIO CIV.

Verum materia, & forma Ordinis sint instituta à Christo Domino?

Videntur non esse instituta à Christo. 1. Quia, quæ sunt instituta à Christo, observantur uniformiter in tota Ecclesia. Materia autem, & forma huius sacramenti non observantur uniformiter, sed sunt omnino diuersæ in Ecclesia Latina, & Græca, ut liquet ex Arcudio lib. 6. de Sac. à cap. 2.

2. Tempore Apostolorum conferebantur Presbyteratus, & Diaconatus per solam manuum impositionem, ut liquet ex locis supra indicatis 1. ad Timot. 4. & 2. ad Timot. 1. necnon ex ordinatione primorum septem Diaconorum Actor. 6. atque Dionysius cap. 5. Ecclesiastica Hierarchia: docet ex professo, Episcopum, Sacerdotem, & Diaconum, consecrari per manus impositionem, idemque constat de Presbyteratu simul, & Diaconatu; ex Conc. Carthag. 4. can. 2. & 4. & quoad Presbyteratum ex cap. Presbyter. 23. dist. & ex Gregorio VIII. cap. 3. de sacr. non iterandis: Nunc autem omnes ordines conferuntur per porrectionem instrumentorum cuiusque ordinis, ut liquet ex Concil. Florent. ex Pontificali Romano, & ex ordinaria praxi Ecclesiæ. Ergo, vel materia adhibita tempore Apostolorum, & tempore deinde proximè subsequenti, vel materia posterioribus temporibus adhibita, inducta est libera Apostolorum, vel posteriorum Pontificum electione, & autoritate, & neutra ut instituta à Christo Domino, vel certè, quoddam tamen perindè valet, alterutra saltem inducta est autoritate purè humana.

3. Materiam sacramentorum, de quibus constat ex sacris litteris esse institutas à Christo Domino, non sunt res, circa quas, aut quibus, tanquam instrumentis operari debet, qui suscipit sacramentum, sed sunt res aliæ habentes analogicam proportionem cum effectibus sacramentorum, ut liquet ex dictis circa Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam. Materia autem huius sacramenti est porrectio instrumentorum, ut modo dictum est ex Florentino. Ergo materia huius sacramenti non est instituta à Christo Domino, siquidem discrepat à conditione, & natura materialium, quas certò constat, ipsum instituisse.

4. Quæ non sunt conuenienter instituta, non sunt instituta à Christo Domino. Forma autem huius sacramenti non est conuenienter instituta, quia constat verbis imperatiui modi absque expressione virtutis Diuinæ. Quod est inconueniens, quia modus imperatiuus est proprius habentis auctoritatem, quæ quoad effectum sacramenti, non est penes ministrum, sed penes solum Deum, cuius etiam virtute, & causalitate, & non ea quæ est propria ministri inducitur idem effectus. Ergo forma huius sacramenti non est instituta à Christo Domino.

Art. 1. Respondetur difficultatem præcipuam ingerit in hac quæstione discrepantia Ecclesiæ Græcæ à Latina præsertim quoad Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum. Quos nimirum Græci conferunt sola manuum impositione, Latini non ea sola, sed Presbyteratum, & Diaconatum; porrectione instrumentorum, vel sola, vel simul cum eadem manuum impositione; Episcopatum verò superaddita impositione manuum vñctione capitis Chrismatica; nec est minor vtriusque Ecclesiæ discrepantia quoad formam verborum, ut apparet ex formulis, quas refert Arcudius vbi supra.

Artic. 2. Negat Tannerus disp. 7. quæst. 2. dub. 4. Vllam esse quoad hoc punctum discrepantiam Græcorum ab Ecclesia Romana. Primò, quia nullus Auctor vsquam meminit eiusmodi dissidij, cum cætera Græcorum instituta peculiaria, plures referant, expendatque diligenter circa singulas materias, etiam leniores. Secundò quia cum in Concilio Florentino reliqua Græcorum à Latinis dissidia, non esse adeo grauius serio, & admodum fusè, discussa sint; de hac re omnium grauiissima, ne minimus quidem dissensionis index apparet. Tertio, quia Eugenius IV. in decreto vñionis Latinorum cum Armenis, Græcorum per omnia fidem, ac ritus sectantibus, definit hoc sacramentum perfici potestione instrumentorum. Credibile porro non est Græcos; & Armenos in eodem Concilio Latinis quoad religionem vñitos, nihil in re tanta reclamatos fuisse, si dissensissent, aut si iure reclamassent, non fuisse causam obtenturos, cum de vñione ageretur enixe. Postremò quia Gabriel Metropolitani Philadelphienfis in lib. Græco de sacramentis, Græcus & ipse, sic ait: *Est autem materia sacerdotalis Ordinis sacer panis, & certus ille sacerdos vasorum numerus, & reliqua cuiusque ordinis propria vti moris est.* Nihil igitur dissident Græci à Latinis, quoad materiam, & formam huius sacramenti.

Artic. 3. Verum ista Tanneri opinatio subsistere nequaquam potest. Quia Arcudius lib. 6. cap. 3. vsque adeo nernose, ac patenter probat adductis, quam pluribus Conciliorum, Ritualis, Patrum, aliorumque Doctorum testimoniis constanti semper Orientalis Ecclesiæ more, solam manuum impositionem adhibitam esse, & adhiberi, tanquam materiam pro Presbyteratu, & Diaconatu, ut id in dubium reuocari amplius minimè possit, accedente præsertim attestatione Cardinalis de Lugo dicentis disput. 2. de sacramentis in genere sect. 5. vidisse se Romæ quod, & nuper ipse mihi dixit, Diaconatum, & Presbyteratum sola manuum impositione, tanquam materia collatum, per Episcopum Græcum sciente, & consentiente Romano Pontifice, nunquamque dubitantibus ipso, aut cæteris Romanis de legitima, & valida eorum ordinum collatione; quandoquidem ex Presbyteris, & Diaconis sic ordinatis, non iterata ordinatione, Episcopi, & Cardinales non semel assumpti sunt à Pontificibus Romanis. Multo vetò minus reuocari in dubium potest porrectionem instrumentorum adhiberi à Latinis tanquam materiam. Videtur igitur dubitari minimè posse de aliquo circa hoc punctum dissidio inter Ecclesiam Orientalem, & Occidentalem. Neque coniectura Tanneri quidquam euincunt. Quoad primam enim de auctoribus constat satis ex modo indicatis, & ex aliis pluribus apud ipsos; quoad secundam, & tertiam, Græci non interfuere Concilio, dum illud Eugenij Decretum conciperetur, ac euulgaretur; Armeni verò consensere Latinis quoad omnia pertinentia ad sacramentorum administrationem; ut obseruat Arcudius vbi supra quod ad postremum attinet, quam sit exigua fidei, quamque incuriosus Philadelphienfis ille Præsul in exponendis materiis, & formis sacramentorum, liquet abundè ex Arcudio lib. 2. cap. 13. & 23. lib. 3. cap. 20. lib. 6. cap. 8. & alibi sæpè fortasse ille intellexit nomine materiæ, totum rerum apparatus, quæ apponuntur ordinandis, siue accidentales illæ sint, siue substantiales; sicut nomine formæ non infrequenter intelliguntur cærimonie etiam accidentales sacramentorum, ut obseruat de Lugo disput. illa 2. sect. 2. & 5.

Artic. 4. Aliam concordie rationem inter vtriusque Ecclesiæ ritus meditatus est Arcudius ipse lib. illo 6. cap. 7. Obseruat ille primò, Eugenium in suo decreto

decreto non definire, materiam ordinum esse instrumenta eorum, sed porrectionem instrumentorum. Addit deinde Episcopalem instrumentorum porrectionem, non absque dicendi ratione, impositionem manuum nuncupari & re ipsa esse. Suadet id primum cum Vasquez assertore puriter eius locutionis, realisque identitatis inter eiusmodi porrectionem, & manuum impositionem, quia extensio manus Episcopalis ad confirmandos, ut eos inungat, & signet in fronte, dicitur impositio manuum à D. Thoma, Hugone de Sancto Victore, Thoma Vvaldensi, & Bellarmino locis ab ipso indicatis. Eandem vñctionem dicit impositionem manuum Suarez cum pluribus aliis, t. 3. in 3. p. disp. 38. sect. 4. adducitque eam in rem Innocentium III. qui cap. vnico. §. penultimo de sacra Vñctione dicit sic: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur.* Placet Tanne-ro quoque, & Moracio hæc locutio. Deinde rogatus Christus Dominus Marci 7. ut manus imponeret lunatico, non aliter annuit postulatis, quam linguam eius, & aures tangens digito. Quævis igitur extensio manuum ad alterum, & contactus etiam medius, dicitur haud incongruè impositio manuum, maxime si sit extensio superioris ad inferiorem, & appareat ex circumstantiis, ea actione exerceri personam, atque munus superioris. Concludit iam ex his differentiam Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis quoad materiam sacramenti Ordinis, esse purè materialem, & accidentariam, quia utrobique adhibetur impositio manus, solusque est diuersus modus imponendi, quatenus Græci vtuntur pura manus impositione super caput: Latini verò extensione manus porrectione instrumenti sacri. Quæ differentia est similis differentie, quæ datur inter asper-sionem, & immersionem, tamque triplicem, vel simplicem, pro Baptismo, inter panem azymum, & fermentatum pro Eucharistia, inter contractum clandestinum, & publicum pro matrimonio.

Art. 5. Confirmari potest hic modus dicendi, ratioque concordie, conferendo inuicem Concilium Florentinum, & Tridentinum. Quia Florentinum solam exprimit porrectionem pro materia huius sacramenti. Tridentinum verò sess. 14. cap. 3. de sacramento Extreme Vñctionis sub initium, solam exprimit manuum impositionem, pro ordinatione sacerdotis. Credibile autem nequaquam est, aut Tridentinum excludere voluisse traditionem instrumentorum, aut Florentinum impositionem manuum. Quia Patribus Tridentinis erat notissimum, porrectionem instrumentorum haberi in Ecclesia Latina, hoc est apud ipsos eos Patres, materiam essentialiter requisitam. Nec Patribus Florentinis ignotum, aut dubium esse poterat, impositionem manuum esse materiam requisitam itidem essentialiter, cum ea sola pro hac re exprimitur in sacris litteris, atque communis Doctorum Catholicorum sententia sit, impositionem aliquam manuum esse materiam necessariam, uti modo indicauit Tridentinum. Cum ergo Tridentinum solius meminerit impositionis, Florentinum solius porrectionis, vtrumque, pro eodem vtramque eam vocem, quoad præsens attinet, vsurpasse credendum est; siquidem de neutro credi potest omnino re ipsa prætermisisse rem, & necessariam, & notissimam, quatenus talem.

Art. 6. Ista concordie ratio, vtrumque probabilis forte sit, satisfacere plenè non potest: Nec enim, qui tradit aliquid alicui, eo ipso dicitur illi manum imponere, siue tradat authoritatue, siue familiariter. Accedit Gregorium VIII. in cap. *Presbyter* de sacramentis non iterandis, apertè distinguere impositionem manuum à porrectione instrumentorum, dum dicit supplendam illam postea esse, si hæc sola initio

adhibita fuit. Manifestius eandem diuersitatem agnoscit inter vtramque eam actionem Concilium Carthag. 4. can. 5. dicens, subdiacono cum ordinatur ideo dari Patenam vacuum, & Calicem, quia non accipit manus impositionem, ut Diaconus. Acciperet autem, nec verificaretur negatiua absoluta Concilij, si ipsa datio Patenæ & Calicis esset vera aliqua manuum impositio. Accedit rursus Concilia, & Patres non exigere qualemcumque impositionem manuum, sed determinatè, & expresse impositionem super caput ordinandi, ut apparet ex eorum testimoniis, quæ exhibet Cardinalis de Lugo; sect. illa 5. Atque his euanescent omnino, quæ pro se adducit Arcudius.

Art. 7. Dicendum itaque est primò conditionaliter, si Græci sola manuum impositione, & Latini sola instrumentorum porrectione, aut hac ut coniuncta cum illa vsi sunt, tanquam materia sacrorum ordinum, eosque sic validè contulere, & conferunt, Christum Dominum vtramlibet sufficientem esse voluisse, & neutram diuisim, aut coniunctim requisuisse; atque instituisse determinatè. Patet hoc ex Tridentino definiente sess. 21. cap. 2. inesse Ecclesiæ potestatem, circa sacramentorum dispensationem, statuendi, vel mutandi, non nisi salua eorum substantia, hoc est materia, & forma, quarum institutio pertinet ad solum Deum, ut dictum est supra in communi quaest. 10. necnon quaest. 4. Dicendum rursus est absolutè, tum traditionem instrumentorum congruentium vnicuique ordini, tum manuum impositionem esse materiam proximam sufficientem ad valorem huius sacramenti. Est quidem sufficiens traditio instrumentorum, propter auctoritatem Concilij Florentini, affirmantis expresse illam esse materiam Ordinis, eademque Ordinem conferri. Est itidem sufficiens impositio manuum, quia ex indicatis scripturæ locis constat per eam collatos fuisse, ac proinde, & conferri validè posse Episcopatum, Presbyteratum, ac Diaconatum. Accedit praxis, & auctoritas Ecclesiæ orientalis, & occidentalis, quantum altera nunc, & olim, vitur traditione, altera impositione, tanquam materia huius sacramenti. Quod proinde vtriusque modo validè perficitur. Tutissimus autem perficiendi modus est, quo vitur Ecclesia Romana, quæ in ordinatione Presbyteri, & Diaconi adhibet, & manuum impositionem, & traditionem instrumentorum. Pro subdiaconatu verò, & ordinibus minoribus est materia proxima itidem tutissima, eadem instrumentorum porrectio, mutuaque receptio, utpote expresse approbata in Concil. Florentin. & vsu perpetuo Ecclesiæ Romanæ recepta. Verum est satis impositio tuta quoque manuum, qua sola vitur Ecclesia Græca pro subdiaconatu, & Lectoratu, quem solum ordinem minorem illa seorsim retinet. Est inquam satis tuta, quia illam semper vsurparunt Græci, etiam ante schisma, & modo retinent etiam Romæ cum consensu Pontificio. Dicendum itaque demum est itidem absolutè Christum Dominum instituisse, tum materiam remotam, tum proximam huius sacramenti, non vltima determinatione rei, & actionis, sed sub conceptu vniuersaliori rei, & actionis significantis analogicè effectum huius sacramenti; relicta Ecclesiæ libertate eligendi hanc, vel illam eiusmodi rem, & actionem determinatè, atque præcipiendi, ut eadem determinate vterentur ministri ipsius, peccaturi quidem, sed non inualidè operaturi, si adhibeant rem, & actionem alterius speciei, eatenus æquivalentem. Ita docent Cardin. de Lugo ubi supra, & frater eius Franciscus lib. 1. de Sac. cap. 1. quaest. 7. num. 78. cum plerisque aliis Theologis, qui egerunt de ista controuersia in propriis terminis.

Art. 8. Ratio ob quam non necesse fuit, vt pro isto sacramento institueretur materia à Christo Domino, tanta cum determinatione, atque pro aliis sacramentis, videtur esse. Quia materia hæc potius, quam illæ adhibentur in singulis sacramentis, vt suscipientibus significet effectus proprios illorum, atque significando eleuent animum ad dignam eorundem effectuum æstimationem, & pium affectum, vt dictum est sæpè in communi, maximè verò qu. 11. Qui autem suscipiunt Ordines, supponuntur, per se magis instructi de rebus spiritualibus, ac Diuinis, quam ceteri, adeoque sunt facilius excitabiles ad conuenientem apprehensionem effectus percipiendi quam ceteri, suscipientes alia sacramenta. Oportuit ergo, vt Christus susceperet in se totaliter magisterium erga reliquos susceptores sacramentorum, determinando per se vltimato rem, & actionem directricem, ac illuminatricem illorum, vt optimus magister, magis, ac melius subueniret, maiori ignorantia, maioriq; indigentia eruditionis perfectæ; Potuit verò absque inconueniente admittere alios in consortium magisterij, & eruditionis pro ordinandis, vtpote pro uicioribus in intelligentia rerum, & deoque capacibus, vt instruerentur sufficienter quolibet ex pluribus symbolis effectuum sacramentalium, siue humana prudentia, siue Diuina sapientia electis, atque vltimò determinatis.

Art. 9. Eadem ratione ita instituit Christus formam verborum, quatenus significatiuam effectus conferendi vnicuique ordinando, vt reliquerit liberam similiter facultatem eligendi qualemcumque formulam verborum, sibi inuicem æquivalentium, quoad id significandum. Hinc in Ecclesia latina, Episcopatus confertur per duplicem formam partialem, quarum altera, *Accipe Spiritum sanctum*, adiungitur impositioni manuum ordinantis supra caput ordinandi: altera, *ungatur & consecratur caput tuum celesti benedictione in ordine Episcopali, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti Adiungitur.* Vnctioni Chrismatica, quæ fit in capite ordinandi. Vtraque verò hæc forma videtur esse substantialis. Prior quidem certò propter definitionem supra memoratam Tridentini sess. 23. can. 4. non frustra dici ab Episcopo: *Accipe Spiritum Sanctum*, sed per hæc verba dari Spiritum sanctum. Posterior verò, quia Anacletus Papa Epist. 2. dicit sic: *Omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cuius virtus inuisibilis Sancto Chrismati est permixta.* At Græci vna continuata oratione absoluunt totam formam Episcopalis ordinationis, eamque adiungunt vni itidem soli impositioni manuum, cum pallio Episcopi ordinantis, dicendo: *Diuina gratia, quæ semper infirmam sanat, & imperfecta perficit, promouet N. &c.* postea verò adiungunt caeremonias alias accidentales, quæ videri possunt apud Arcud. lib. illo 6. cap. 2.

Art. 10. Similiter in ordinatione Presbyteri, Ecclesia Latina vtitur seorsim duplici forma partiali, quarum alteram, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo &c.* profert Episcopus, dum tradit ordinando Patenam cum Hostia superposita, & Calicem cum vino, præmissa prius impositione manuum ordinantis, & Vnctione manuum ordinandi: alteram *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseras peccata, remittuntur eis &c.* profert idem Episcopus ordinans, dum imponit manus ordinando, postquam simul cum ipso consecrauit corpus, & sanguinem Christi. Dubitari autem non debet vtramque formam esse substantialem, & verè operatiuam sacramentaliter: tum quia in neutra forma saluatur veritas enunciationis iuxta proprietatem verborum, nisi vtralibet conferat re ipsa potestatem Ordinis, quam distinctè, & adæquatè significat: tum quia post priorem formam: *Accipe pote-*

statem offerendi, exercet Ordinatus eam potestatem, offerendo de facto, & sacrificando; posterior verò forma: *Accipe Spiritum sanctum*; non frustra profertur, sed verè dat Spiritum sanctum, vt liquet ex definitione Tridentini, paulò prius indicata, idemque Concilium sess. 14. cap. 1. & can. 4. definit per eadem verba datam esse Apostolis, Ioann. 20. & dari legitimis eorum successoribus, potestatem remittendi peccata. Certum itaque est per priorem formam in Ecclesia Latina conferri potestatem supra Corpus Christi verum; per posteriorem verò supra corpus eiusdem mysticum, seu ad absoluendos fideles. Græci verò, ad vnicam manuum impositionem cum pallio, vnam itidem solam adiciunt formam verborum, *Diuina gratia, quæ semper infirma sanat &c.* atque hac vna prolatione, ac impositione, vtramque eam potestatem conferunt indiuium Presbytero.

Art. 11. Diaconus ordinatur similiter in Ecclesia Latina per duplicem formam partialem, quarum prior: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo & tentationibus eius*, profertur, dum ordinando imponitur manus Episcopalis; altera verò: *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei*, dicitur dum eidem traditur ab Episcopo liber Euangeliorum. Posteriorem autem istam, & formam verborum, & traditionem Euangeliorum, esse substantialem, & sacramentaliter operatiuam, dubitare minime licet, propter apertam definitionem Florentini loco præindicato. Sed nec de priori forma, & impositione manus dubitari potest, quin sit similiter substantialis, & operatiua, tum propter sæpè repetitam definitionem Tridentini illis verbis verè dari Spiritum sanctum, nec frustra eadeci ab Episcopo, tum quia Apostoli ordinauerunt septem primos Diaconos impositione manuum, vt constat ex Actor. 7. atque Conc. Carthag. 4. can. 4. & 5. clarè significat Diaconum perinde ordinari per impositionem manuum, atque ordinatur subdiaconus per traditionem Calicis, & Patenæ. At Græci soli manuum impositioni sola hæc adiungunt verba: *Diuina gratia, quæ semper &c.* ac deinde superaddunt accidentalia quædam alia.

Art. 12. Demum Subdiaconatus, & quatuor Minores Ordines conferuntur in Ecclesia Latina per formam verborum modi imperatiui, significatiuam potestatis vnicuique Ordini conuenientis, dum vnicuique ordinando traduntur instrumenta sui Ordinis, seu quibus, & circa quæ potestatem suam peculiarem vnusquisque ordinatus exercet. Vnde Subdiacono, dum ad eum dirigitur forma verborum huius Ordini congruens, traduntur Calix vacuus, & Patena itidem vacua. Acolytho verò traduntur cereus extinctus cum peculiari sue forma, ac deinde Vrecolus cum forma itidem peculiari, & sic de reliquis vti videri fufius, ac distinctius potest in Pontificali Romano, & apud Vasquez disp. 237. cap. 3. & disp. 238. cap. 5. At Græci, præter Lectoratum, nullum Ordinem Minorem seorsim conferunt, Lectoratum verò, sicut, & Subdiaconatum conferunt variata sola forma verborum, prout congruit vnicuique Ordini, & contenta vbique eadem manuum impositione, vti videti plenius potest in Euchologiis Græcorum, & apud Arcudium vbi supra.

Art. 13. Æquivalentia inter formas prædictas Græcorum, & eas, quibus vtitur Ecclesia Romana est manifesta. Quia potestatem cuiusque Ordinis propriam, quam cum ipsius collatione distinctè exprimunt formæ Romanæ, sub significant etiam haud obscurè formæ Græcæ, dum distinctè exprimunt gratiam Dei, quatenus promotricem ordinandi, ad eum determinatè gradum, ac ordinem, qui ipsi confertur. Nec obstat, quod Græci tandem semper

semper materiam adhibent pro omnibus Ordinibus, nec pro singulis superaddunt aliquid, sicut Latini, quod peculiari analogia ducat in cognitionem muneris peculiaris, ad quod destinatur unusquisque Ordinatus, non inquam hoc obstat. Quia inde tantum concluditur materiam Latinorum esse significationem, magisque accommodatam pro unoquoque Ordine clarius representando, sicut, & formæ sunt significationis proculdubio clarioris; ceterum materia etiam Græca est de se sufficiens, quæ partialiter concurrat ad promotionem ad quemlibet præminentiam gradum, ratione cuius, qui ordinatur consequitur munus aliquod dirigendi infimum fidelium populum ad cultum Dei, & ad vitam æternam. Quia Duces, ac Principes populi inaugurabantur olim impositione manuum, ut apparet ex numero 27. & Deuter. 34. atque inde impositio manuum semper retenta est, tanquam promotrix ad gradum quemlibet similis aliquatenus præminentiam, ac muneris. Dictum præterea est supra in communi, cum Augustino, D. Thoma, & aliis Principatum significandi, in sacramentis, esse penes verba, atque hæc variantur, pro diversitate Ordinum, non minus à Græcis, quam à Latinis, tamen materia non varietur apud Græcos. Dictum rursus est in quæstione præcedenti sacramentum Ordinis esse unum potentiale, secundum speciem infimam, tamen Ordines ipsi, seu gradus, per illud collati sunt plures. Vnde nullum est inconueniens, quod pro pluribus ordinibus eadem materia adhibeatur, cum hæc non sit pars Ordinis collati, sed solius sacramenti conferentis Ordinem passivè sumptum. Concluditur itaque, sicut materiam, ita, & formam instituisse determinatè Christum Dominum in genere, quoad conceptum rei, & verborum significantium effectum proprium vniuersiusque Ordinationis, atque de cetero reliquisse Ecclesiæ potestatem eligendi, atque vltimò determinandi eadem, quoad speciem infimam entitativam ipsorum.

Ad 1. Quæ instituta sunt à Christo Domino, observantur vniuniformiter in tota Ecclesia, & pro omni tempore, quatenus instituta ab ipso sunt. Ceterum non omnia instituta ab ipso sunt cum vltima determinatione, quoad species infimas rerum, & verborum, secundum entitates physicas ipsorum, atque eatenus dari potest varietas, absque vllò inconuenienti. Neque verò vltèrius progredita est varietas Ecclesiæ in re præfenti, ut liquet ex dictis.

Ad 2. In nullo ex testimoniis, quæ indicat obiectio pro alterutra ex materiis, quibus vtitur Ecclesia, tum Latina, tum Græca, reprobat explicitè, vel etiam implicitè, altera materia. Vnde vtralibet agnoscitur verè sufficiens absque vlla contradictione testimoniorum vtriusque partis. Ratio porro, ob quam Concilium Florentinum solam expresse traditionem instrumentorum, atque omiserit impositionem manuum, duplex esse potuit. Prior est, quia cum instructio illa Eugeniana, edita sacro approbante Concilio Florentino, sit compendiaris, & brevis, id solum exprimere voluit, quod est vniiforme, & proportionaliter commune omnibus ordinibus, tum maioribus, tum etiam minoribus, atque eiusmodi est in Ecclesia Latina, sola, instrumentorum traditio. Altera, eaque præcipua ratio est, quia impositio manuum pro Episcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu, est notissima ex sacris litteris, minimèque controuersa apud Ecclesiam Occidentalem, & Orientalem, ideoque subintelligi facillè potuit, quin seorsim exprimeretur. In aliis verò textibus sola exprimitur eadem manuum impositio propter eandem sacrarum litterarum auctoritatem peculiarem, & quia agitur de solis iisdem ordinibus, de quibus solis

expresse legitur in iisdem sacris litteris.

Ad 3. In hoc sacramento confertur potestas ad operandum circa materiam exteriorem. Potestas autem ad aliquid innotescit principaliter per actum ipsius. Hinc est, quod in aliis sacramentis adhibetur materia, significans potissimum formam communicandam suscipienti sacramentum, consideratam secundum se. In hoc verò sacramento exhibetur materia potissimum significans actum, quo exerceri debet, quod illud suscipit, quatenus materia, circa quam versatur actio, refertur distinctè ad ipsam actionem. Atque hoc dictum sit de materia Ecclesiæ Latinæ. Quia de Græca, eiusque opportuna significatione paulo prius dictum iam est, quantum sufficit.

Ad 4. Istud sacramentum ordinatur principaliter ad effectus similes effectibus potestatis, per quam idem sacramentum confertur, cum quadam vniocatione peculiari, inter virtutem propriam ordinantis, & eam virtutem, quæ communicatur ordinando. Propterea minister huius sacramenti, congruenter vtitur modo imperatiuo, tanquam specialiter communicans de suo, effectum sacramenti, quod confert; cum alia sacramenta non præsupponant necessariò ex parte Ministri, effectum, quem mediante illo Deus communicat. Obserua obiter formam huius sacramenti, quatenus continet verbum, *accipe spiritum, accipe potestatem*, nempe sensibilibus; atque materiam eius proximam, quæ est traditio instrumentorum denotare necessarium esse contactum materiæ remotæ, ex parte ordinandi, quatenus non verificatur perfectè, & completè acceptio sensibilis spiritus, & potestatis, & traditio instrumentorum, absque contactu materiæ remotæ ex parte accipientis. Vnde hæc videtur probabilior, & est communior Theologorum opinio cum D. Thoma quæst. 34. art. 5. ad 3. aduersus Caietanum in summa, & alios non paucos.

QVÆSTIO CV.

Vtrum Minister Ordinis sit solus Episcopus?

Videtur non esse. 1. Quia Episcopus potest ordinare Episcopum. Ergo, & Presbyter Presbyterum, & sic de cæteris proportionaliter.

2. Non solus Episcopus imponit manus sacerdoti ordinando, sed etiam sacerdotes adiuuantes. Sacerdotium autem confertur per impositionem manuum. Ergo non solus Episcopus ordinat sacerdotem; sed etiam simplices sacerdotes. Similiter Subdiaconis traditur ab Archidiacono vicecolus cum aqua, & manutergio, quæ sunt instrumenta eius Ordinis. Ordinatio autem fit per traditionem instrumentorum ipsius Ordinis. Ergo Archidiaconus etiam ordinat Subdiaconum, & non solus Episcopus.

3. Cui conuenit, quod est principale, conuenit etiam, quod est accessorium. Sed in Episcopo, qui proculdubio potest omnes Ordines consecrare, potestas consecrandi Eucharistiam est; potestas eius principalis, respectu cuius comparatur, tanquam accessoria, & minus principalis potestas ordinandi. Ergo omnibus Presbyteris conuenit potestas conferendi omnes Ordines, quandoquidem eisdem omnibus conuenit potestas consecrandi Eucharistiam.

4. Chorepiscopi validè olim conferebant, non solum Subdiaconatum, & Diaconatum, sed etiam Presbyteratum, ut colligitur apertè ex Concilio Antiocheno can. 10. Neocæsariensi can. 13. Ancyrano can. 13. Chorepiscopi autem non erant veri Episcopi,

ut nititur probare Vasquez ex Damaso Papa Epist. 5. Ergo alij, quam Episcopi possunt valide ordinare Presbyteros, & à fortiori alios ministros inferiores, saltem ex commissione summi Pontificis.

5. Innocentius VIII. anno 1489. concessit Abbati Cisterciensi, ut monachos sui Ordinis posset ordinare Subdiaconos, & Diaconos, affirmante Vasquez se vidisse istud Privilegium in Collegio nostro Complutensi, idemque affirmat Victoria de Bulla concedente Abbatibus Cisterciensibus facultatem conferendi Subdiaconatum religiosis sui Ordinis, similisque Bullæ meminit Navar. lib. 5. conf. 13. Ergo Diaconatus saltem, & Subdiaconatus possunt valide conferri à simplici sacerdote, ex concessione summi Pontificis.

6. Quod alicui conuenit ex vi sui Ordinis, in nullo euentu amitti potest. Episcopus autem potest amittere potestatem ordinandi. Quia Episcopus excommunicatus, aut degradatus, aut hæreticus nulliter ordinant, ut apparet, ex testimoniis Gregorij magni, Innocentij I. Damasi, & Leonis I. quæ eam in rem producit Gratianus causa 9. qu. 1. ipitio. Ergo Episcopo non conuenit ex vi sui Ordinis potestas ordinandi.

Articul. 1. Respondetur certum primo est solum Episcopum esse ordinarium ministrum sacramenti Ordinis: ita definiente expressè Concil. Florent. in decreto Eugenij 8. *Sextum sacramentum*, idemque aperte colligitur ex Trid. sess. 23. canon. 7. Quia videlicet Episcopi sunt Principes Ecclesiæ, ad quod proinde pertinet, ut consulant bono eius communi, collocando vnumquemque in eo gradu, & ordine, atque potestate, quam expedit vnumquemque habere, ut peculiari sua cura bonum commune tueatur, ac promoueat, iuxta documentum Philosophi 1. Ethic. cap. 2. ad supremum Principem pertinere, ut constituat ministros, quos, & quales, iudicauerit expedire, ad procuracionem boni communis; uti ex eodem Philosopho obseruat D. Thomas quæst. 37. art. 1.

Artic. 2. Certum rursus est Episcopum, neque excommunicatione vlla, neque degradatione, neque hæresi impediri posse quominus ordines conferat validdè, uti fert communis Theologorum consensus cum D. Thoma in eadem quæst. 38. art. 2. & confirmat antiqua Ecclesiæ consuetudo agnoscens, & acceptans pro veris sacerdotibus ordinatos ab Episcopis, tum schismaticis, tum hæreticis. Ratio est, quia ordinatio non est actus iurisdictionis, sicut absolutio sacramentalis, sed est actus Ordinis conueniens Episcopo, ratione suæ ordinationis, cuius effectus inest ipsi inamissibiliter, atque ad eundem inest eidem inamissibiliter, atque inimpedibiliter potestas ordinandi, sicut inest cuilibet sacerdoti potestas consecrandi Eucharistiam. Accedit sacramenta non accipere vim suam à ministro, eiusque, aut fide, aut probitate, sed à Christo, eiusque meritis, quæ semper vim suam retinent, possuntque cooperari ministro, etiam improbo, & præciso ab Ecclesiâ, uti iterum obseruatum est supra in communi, ex Augustino, atque pluribus illustrat. Belarm. lib. 1. de Sacr. cap. 26.

Artic. 3. Certum quoque est, tum Ordines minores, & primam tonsuram conferri posse, & validdè, & licitè à simplici sacerdote ex commissione summi Pontificis; tum Episcopatum à solo Episcopo conferri validdè posse, neque quemquam alium per vllum priuilegium sufficere ad validam Episcopi consecrationem. Prior pars de ordinibus minoribus, & prima tonsura est nota ex praxi Ecclesiæ, & ex declaratione Concil. Trident. sess. 23. cap. 10. de reformat. Abbates quosdam ex Priuilegio Summi Pontificis conferre posse suis Religiosis Ordines minores, & primam tonsuram. Posteriores partem de Episcopatu firmat vniuersis Doctorum consensus, qui hac in re, ma-

ximè, quæ ex traditione dependet, plurimi faciendus est. Quia verò communis itidem authorum fere omnium sententia est, ne quidem Presbyteratum conferri validdè posse, per vllum priuilegium, ab alio, quam ab Episcopo; hoc quoque summe tenendum est, quidquid singulariter renitantur Vasquez, & Maratius attribuentes simplici sacerdoti validam ordinationem sacerdotis ex concessione Romani Pontificis, vel Concilij Generalis. Fauent plurimum huic parti assertionis Concil. Antioch. can. 6. & 10. An-cyr. can. 13. Leo Papa Epist. 88. affirmantes solius Episcopi esse, ordinare Presbyteros, & Diaconos, Greg. III. in Epist. postrema ad Bonifacium, decernens, esse iterum ordinandos, ab alio, quam ab Episcopo ordinatos Presbyteros, loco supra citato. Athanasius in secunda Apologia pluribus efficaciter reprobans valorem, & veritatem Presbyteratus collati à Presbytero non Episcopo, inducta etiam eam in rem auctoritate Synodi Alexandrinæ, Epiphanius hæresi. 75. & Augustinus hæresi. 53. reprobantes Aetium, qui Presbyteros æquabat Episcopis, quoad potestatem præsertim ordinandi Presbyteros, quod quidem Epiphanius manifestè dicit insaniam esse. Quia soli Episcopi dant Ecclesiæ Patres, dando illi sacerdotes, cum sacerdotes ipsi dent eidem tantum filios baptizando; ac demum Concil. Trident. sess. 23. canon. 7. de hoc sacramento definiens potestatem confirmandi, & ordinandi non esse Episcopis communem cum Presbyteris; agit verò, vel vnicè, vel certè præcipuè de potestate ordinandi Presbyteros. Fauent inquam plurimum hæc omnia assertioni nostræ, quia licet in præfatis Testimoniis non excludatur distinctè potestas Pontificis ad committendam Presbytero ordinationem Presbyteri, satis tamen subintelligitur exclusa, dum asstruitur absolutè, ac illimitatè talis assertio absque modificatione, & exceptione potestatis Pontificiæ ad oppositum.

Artic. 4. Rationem, ob quam summus Pontifex potest committere simplici sacerdoti ordines minores, & nequit eidem committere Episcopatus, vel etiam Presbyteratus collationem talem, reddit D. Thomas in 4. dist. 7. quæst. 3. art. 1. quæst. 3. & in hac quæst. 38. art. 1. ad 3. Quod nimirum summus Pontifex habet duplicem potestatem, alteram circa Corpus Christi verum, alteram circa mysticum. Quoad potestatem circa verum Christi corpus, est æqualis summus Pontifex omnibus aliis; non solum Episcopis, sed etiam Presbyteris. Quibus videlicet illa conuenit in summo. At quoad potestatem circa corpus Christi mysticum, excedit omnes alios Episcopos, & Presbyteros, eisque plurimum superaddit. Hinc fit summum Pontificem non habere plenitudinem potestatis, quoad ea; quæ ordinantur proximè ad sacramentum Eucharistiæ, eandemque habere, quoad alia non ita ordinata ad idem mysterium. Cum ergo ordo Episcopalis, & sacerdotalis immediatè referantur ad mysterium Eucharistiæ; ordines verò minores non nisi remotè, cum versentur circa solas actiones præparatorias, ac valdè remotas; concluditur Pontificem posse uti plenitudine potestatis in committendis Presbytero ordinationibus minoribus; eademque uti non posse in committendis eidem ordinationibus, vel Episcopis, vel etiam Presbyteris.

Art. 5. Ista ratione vititur D. Thomas ad negandam similiter summo Pontifici potestatem, ut committat Presbytero ordinationem Diaconi quoque, & Subdiaconi. Verum quoad istos duos ordines non videtur ea ratio esse vsque ad eundem efficax. Quia Diaconatus, & Subdiaconatus sunt medij inter ordines minores, & sacerdotium, & plus accedunt ad naturam, & gradum ordinum minorum, quam sacerdotij, cuius excessus supra illos est propemodum infinitus.

Quia

Quia tota potestas Diaconi, & Subdiaconi exercetur circa materiam Eucharistia, & circa eius dispensationem, solusque Sacerdos perficit immediate sacramentum corporis, & sanguinis Christi. Quapropter potestas summi Pontificis ad committendos Presbyteros eos duos ordines est magis ambigua, atque in utramque partem absolute probabilis. Et quidem si certo constaret Innocentium VIII. vel aliquem alium Romanum Pontificem concessisse de facto privilegium Abbatibus Cisterciensibus, vel alicui alij Presbytero non Episcopo ad conferendum Diaconatum, & Subdiaconatum; dubitandum minime esset: quin Pontifex possit tale privilegium concedere, & quod ij ordines valide conferrentur ex vi eiusdem privilegij. Quia dici non posset absque magna Sedis Apostolicæ iniuria, & insigni adversus diuinam Providentiam irreuerentia Pontificem errasse in re tam graui. Ceterum de eiusmodi Cisterciensium privilegio, quod quidem foret valde insignis, ac notabile, & cuius usus futurus fuisset notissimus, ac celebris pauci admodum meminerunt authores, qui proinde facilius decipi potuere falsis exemplaribus, quam potuerint ceteri omnes ignorare tale privilegium, aut de illo penitus silere, vt nihil dicam de aliis deceptionis eius indicij, quæ expendit Coninx disp. 20. dub. 9. concl. 4. Quapropter probabilius videretur Pontifici non inesse talem potestatem committendi prædictos duos ordines, aut alterutrum ex illis alicui non Episcopo, cuius videlicet nullum est exemplum satis certum, & cui licet non concludenter, vi tamen, haud quaquam contemnenda contradicit ratio proposita D. Thomæ quatenus potestas propria Diaconi, & Subdiaconi habet actum valde propinquum consecrationi Eucharistia.

Art. 6. Probabilius longe est, & comparatiue, & etiam absolute, summum Pontificem dispensare posse in numero Episcoporum, requiritur de iure Ordinario ad ordinandum Episcopum. Tres enim Episcopi requiruntur de iure Ordinario ad ordinandum Episcopum, vt liquet inter alia ex Epist. Aniceti Papæ ad Episcopos Galliæ, & ex Epi. S. Damasi Papæ contra Chorepiscopos, & ex praxi communi Ecclesiæ. At Pontifex dispensare potest, vt vnus solus Episcopus ordinet Episcopum, vt probat Martinon post alios apud eundem disp. 67. sect. 2. num. 21. exemplis S. Gregorij magni, & Gregorij XIII. qui de facto dispensarunt. Neque verò apparet vlla ratio, aut textus efficax in contrarium. Immo non est omnino improbabile valere ordinationem Episcopi factam ab vno solo Episcopo, absque dispensatione Pontificis, tametsi oppositum sit probabilius, sit verò certum talem ordinationem esse illicitam. Ex his igitur patet, solum Episcopum esse absolute ministrum Sacramenti Ordinis, & quatenus id sit certum aut probabile.

Ad 1. Argumentum procederet, si potestas ordinandi fundaretur in vniuatione seu propinquitate, vel affinitate inter gradum ordinantis, & ordinati. At non in eo fundatur, sed in potestate & munere prouidendi bono communitatis. Nempe ad eos, qui sunt in Republica summi, ideòque habent supremam eius curam, pertinet, non solum, vt adiungant sibi, cum opus fuerit, alios sibi pares, eiusdemque secum conditionis, sed etiam, vt promoueant inferiores alios cooperatores respectu boni communis. Quia non possunt aliter sufficienter, & perfecte providere eidem bono communi. Vnde, cum Episcopi sint supremi Ecclesiæ Principes, ad ipsos solos spectat, tum consecrare alios Episcopos, tum etiam ordinare Presbyteros aliosque inferiores Ecclesiæ ministros, non verò ad ipsos vel Presbyteros, vel alios inferiores ministros.

Ad 2. Sacerdotium non confertur per quamlibet impositionem manus, sed per eam solam, quæ fit ab habente potestatem ordinandi, & proferente formam. Hic autem est solus Episcopus; vnde dictum est. Quapropter impositio manuum, quæ fit à Presbyteris supra Presbyterum est solum ceremonialis, ad denotandam clarius abundantiam gratiæ, quæ confertur nouo sacerdoti, atque auctoritatem, qua Presbyteri sunt Episcopis propinqui, atque anterioritate Ordinis venerabiles respectu eius, qui ordinatur de nouo; Simili proportionaliter ratione cooperatur Archidiaconus Episcopo in ordinatione Subdiaconi exhibendo ipsi aliqua instrumenta sui Ordinis, sicut exhibet etiam Acolytho, quæ ad ipsum spectant. Ceterum instrumentum principale Subdiaconi est Calix, qui datur ab Episcopo, & præterea solus Episcopus proferit formam collatiuam potestatis, tum Subdiaconi, tum etiam Acolythi. Vnde ipse solus ordinat vtrumque, tametsi alius tanquam eius administer porrigat materiam, vel totam, vt fit respectu Acolythi, vel partem eius, eamque minus principalem, vt fit respectu Subdiaconi.

Ad 3. Non quolibet minus principale, dicitur accessorium respectu magis principalis, cui accedit, sed quod præterea consequitur ad magis principale, tanquam subordinatum eidem. Non est autem eiusmodi Episcopatus respectu sacerdotis, quia Episcopatus superaddit potestatem subordinatam simplicium sacerdotum respectu Episcopi. Vnde Episcopatus non consequitur ad sacerdotium ex natura ipsius sacerdotij, atque hoc est aliquid eidem subordinatum, ideòque ratio obiectionis non tenet.

Ad 4. Si illud argumentum quidquam conuinceret, conuinceret plus etiam quam intendit author eius, & promotor Vasquez, & quam intendere liceat, nempe simplicem sacerdotem posse ordinare valide Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros, etiam absque commissione Summi Pontificis. Quia in textibus, qui adducuntur pro ordinatione illorum facta valide à Chorepiscopis, nulla fit mentio commissionis Summi Pontificis, sed solius Episcopi Diocesani, vt obseruant Agidius Coninx, Martinon; & alij in præfenti. Conceditur itaque, Chorepiscopos valide ordinasse Presbyteros, solumque cauere in illis canonibus, ne id facerent absque consensu, & mandato Episcopi Diocesani. Sed negatur eosdem Chorepiscopos omnes, & vbiq; fuisse simplices sacerdotes. Aliqui enim erant veri Episcopi titulares, seu anulares, vt dicitur, alij non erant, vt iidem authores ostendunt. Nempe Chorepiscopus dicitur quasi Episcopus villanus, & re ipsa est nomen Vicarij substituti sibi ab Episcopo Diocesano. Vicarius autem Episcopi potest esse, & sæpè fuit, & aliquando nunc quoque est alius Episcopus verè talis quoad ordinem, licet plerumque non sit Episcopus. Itaque canones Conciliorum probantes validam ordinationem Presbyterorum factam à Chorepiscopis, loquuntur de iis, qui erant veri Episcopi, vt patet de Concilio præfatum Ancyranum, quod in can. illo 13. sic habet: *Qui in villis, & vicis constituti sunt Chorepiscopi tametsi manus impositionem ab Episcopis susceperunt, & vt Episcopi sunt consecrati; tamen placuit sanctæ Synodo scire eos oportere, modum proprium retinere.* Damalus verò cuius auctoritate nititur probare Vasquez Chorepiscopos non fuisse veros Episcopos, non loquitur in ea Epistola de Chorepiscopis vniuersim omnibus, sed de iis solis, qui non erant veri Episcopi. Vnde consequenter declarat, quidquid ex prædictis ministerijs (ordines conferendi) Pontificalibus præsumebant, irritum fuisse, & nihil tactis profecisse. Ex quo ulterius apparet eam Damasi auctoritatem vsque adeò nihil conferre ad scopum principalem ipsius.

sus Vasquez, vt potius eum penitus euerat, dum manifestè declarat nullos ordines collatos à Chorepiscopis, qui non erant veri Episcopi, & præcisè, quia veri Episcopi non erant.

Ad 5. Patet ex dictis supra artic. 5. & similiter patet ad sextum ex dictis supra artic. 2. Testimonia porro, quæ habentur apud Gratianum pro nullitate Ordinum, quos contulissent hæretici, vel aliter præcisi ab Ecclesia, solum probant ordinatos ab illis, non accipere gratiam, & manere suspensos ab exercitio ordinis suscepti, quatenus peccant suscipiendo ordines ab hæreticis, & præcisis, atque iure canonico suspenduntur ab exercitio potestatis acceptæ, vt dictum est iterum in simili circa sacramentum Confirmationis, vbi etiam notata est ratio differentiae quoad hoc respectu Baptismi.

QVÆSTIO CVI.

Verum quilibet baptizatus sexus Masculini, sit subiectum Ordinum incapax?

Videretur non esse. 1. Quia qui puerum infantem facit, seu intendit facere sacerdotem, vel Episcopum, rem facit ridiculam, & absurdam. Qui autem perficit sacramentum non facit rem ridiculam, & absurdam, cum sacramentum talis res esse nunquam possit. Ergo, qui intenderet infantem ordinare sacerdotem, vel Episcopum, non perficeret verum sacramentum. Ergo infans, tametsi baptizatus sit, est incapax Sacerdotij, & Episcopatus. Eadem autem videtur esse ratio de cæteris ordinibus, cum omnibus sit per æquè communis ratio sacramenti, vt dictum est supra.

2. Ad susceptionem validam huius sacramenti requiritur consensus ex parte suscipientis ordinem. Quia ordo transfert ordinatum ad peculiarem statum, & professionem vitæ, & imponit ordinato peculiaria aliqua onera maiora, vel minora, pro qualitate Ordinis. Nihil autem eiusmodi enquire cuiquam potest ex sola alterius voluntate, absque proprio consensu. Consensus autem nullus dari potest, in infante, vel amente, vt per se patet de consensu quidem formali. De præsumpto verò probatur, quia sacramentum Ordinis non est necessarium respectu vniuscuiusque, sicut est necessarius Baptismus, & præterea est specialiter onerosum. Nemo autem præsumitur consentire isti rem sibi minime necessariam, sicut præsumitur consentire in eam, quæ sibi necessaria est, præsertim cum simul est onerosa. Sed neque parentes; aut alij parvulorum curam habentes, possunt consensum illorum supplere suo. Quia potestas, & vinculum Ordinis, est quid omnino supernaturale: atque quoad supernaturalia non subiacent pueri, alique carentes vsu rationis, paternæ, aut aliorum curam gerentium voluntati. Ergo sacramentum Ordinis collatum infanti, aut amenti est nullum. Confirmatur, quia sacramentum Ordinis est perfectius, quam sacramentum pœnitentiæ, & matrimonij, vt dictum est supra in communi. Neutrum autem ex his duobus sacramentis validè suscipere potest, qui caret vsu rationis. Ergo multo minus sacramentum Ordinis,

3. Cuius potentia, eius est actus, vt dicit Philosophus de somno, & vigil. capit. 1. & cui repugnat actus, repugnat & potentia ad actum. Ordo autem est potentia ad actum repugnantem ei, qui caret vsu rationis. Ergo Ordo etiam ipse repugnat eidem, tametsi baptizatus sit.

4. Qui suscipit sacramentum Ordinis mancipatur Diuinis Officiis. Seruitus autem, propter obli-

gationem ad Dominum impedit, quo minus seruus mancipetur Diuinis Officiis, cum quibus videlicet est impossibile obsequium debitum respectu Domini. Ergo seruus non minus baptizatus, quam non baptizatus est incapax Ordinis, eademque est ratio de aliis statibus, & conditionibus personarum similiter impediens ab ordinum exercitio. Sed præterea in seruo est peculiaris incapacitas. Quia Ordo quilibet Ecclesiasticus, habet sibi adiunctum peculiarem aliquem præeminentiæ gradum respectu cæterorum, qui repugnat seruo, cuius est propria subiectio in summo, & multo magis, quam femina, quæ tamen, propter subiectionem sibi naturalem ad virum, dicitur communiter, & est incapax Ordinis.

5. Eadem præeminentia, & speciei claritas propria ordinum Ecclesiasticorum repugnat obscuris quibusque hominibus, ac vilibus, vt illegitimis, infamibus ex delicto, vel turpibus ex defectu notabili corporis. Ergo omnes eiusmodi, etiamsi baptizati sint, sunt incapaces Ordinis Ecclesiastici. Specialiter verò sunt incapaces, qui carent membro aliquo necessario ad exercitium Ordinis.

6. Diaconissæ olim ordinabantur ad peculiare ministerium in Ecclesia, sicut Diaconi, & Sacerdotes, vt apparet ex multis, quæ habentur circa earum ordinationem in Concil. Chalced. can. 14. Aurelian. II. can. 18. Epauensi can. 21. Clemente Romano lib. 8. constit. c. 26. & alibi sæpè Tertul. lib. de exhortatione ad castitatem c. vlt. Ergo non soli mascululi, sed etiam feminae baptizatae sunt capaces Ordinis Ecclesiastici.

Art. 1. Resp. Manifestum est prærequiri baptismum ad validam Ordinis susceptionem, non solum, quia Baptismus est ianua sacramentorum, vt dictum est supra, sed etiam, quia Ordo Ecclesiasticus continet in se peculiarem præeminentiæ gradum in Ecclesia Dei, qualem nemo nancisci potest in aliqua communitate, quin ad eandem communitatem pertineat, sitque in eadem receptus, quod fit per Baptismum respectu communitatis Ecclesiæ.

Art. 2. Manifestum quoque est, vltra baptismum requiri masculinitatem. Quia feminae ne loqui quidem in Ecclesia permittuntur, vt apparet ex 1. ad Timotheum 2. nedom ministeria Ecclesiastica exercere, ad quæ ordines Ecclesiastici referuntur. Accedit mulieres ex sua indiuiduatione habere statum subiectionis, cum habens ordinem, eo ipso habeat statum quandam præeminentiæ vniuersalis. Accedit rursus easdem esse incapaces sacerdotij, vt dicitur in can. Diaconissam. 27. quæst. 7. docentque communiter Doctores cum D. Thoma quæst. 39. art. 1. ex Epiph. hæresi 49. & August. hæresi 27. aduersus hæresim Pepusianorum, qui feminas ordinabant sacerdotes. Ergo sunt pariter incapaces ordinum quoque minorum, nec non primæ tonsuræ, vt potestè disponentium, ac præparantium, ad sacerdotium ex intentione Ecclesiæ, & ex Christi institutione.

Art. 3. Manifestum denique est plura præterea alia requiri ad licitam, ac honestam ordinum susceptionem, nempe statum gratiæ, qui requiritur ad omnia sacramenta viuorum, scientiam, actum, ac exercitium cuiusque Ordinis congruentem, probitatem morum, qualis decet personam Ecclesiasticam, atque ministerijs Ecclesiasticis specialiter deuinctam, sufficientiam facultatum temporalium, ad decentem habitum, & vitæ modum, iustam seriem promotionis, vt per minores ad maiores ordines, experimento in singulis præmisso, & non aliter transitus fiat, ætatem Ordini exercendo opportunam, qualis est septennium pro prima tonsuræ, & pro ordinibus minoribus, pro Subdiaconatu

Subdiaconatu vigesimus secundus annus, pro Diaconatu vigesimus tertius, & pro sacerdotio vigesimus quintus, nimirum incepti, pro Episcopatu vero trigessimus completus: de quibus omnibus, deque aliis eiusmodi instruit exacte Conc. Trid. sess. 23, in decreto de reformatione per plura capita.

Art. 4. Nihil verò eorum, quæ recensita sunt pro licita, ac honesta ordinum collatione, & susceptione, est necessarium ad valorem sacramenti. Plura nimirum necessaria sunt, ut aliquid bene sit, quam ut sit simpliciter, tum in genere, tum maxime respectu sacramentorum. Quia si totidem necessaria essent ad valorem sacramenti, quot necessaria sunt ad ipsum laudabiliter perficiendum sapissimè in dubium reuocaretur valor sacramentorum. Plurima namque sunt, quæ ad laudabilitatem operationis vsque adeo excellentis, requiruntur, & sapissimè dubitatur, an omnia illa adfuerint. Magnum autem esset inconueniens, cum maxima fidelium perturbatione coniunctum, si toties merito in dubium reuocaretur valor sacramentorum. Maxime verò valor huius sacramenti, quod, & interabile est, & disponit ad sacramenta cætera dispensanda, & magna ex parte ad eadem valide perficienda. Hac igitur de causa sacramentum Ordinis valide confertur cuius masculo baptizato, cuiuscunque de cætero ætatis, qualitatis, & conditionis sit. Quæ est communis Theologorum sententia cum D. Thoma quæst. 39. ab artic. 2. Et suadet efficaciter ex c. unico de Clerico per saltum promoti, ubi præmissis quendam infra annos discretionis suscepisse ordines vsque ad Subdiaconatum inclusiue, respondet Innocentius III. valide id factum fuisse, nec obsecrè innuit Diaconatum etiam valide tunc suscipi potuisse. Valet autem argumentum à pari, non solum pro Diaconatu, sed etiam pro sacerdotio, & Episcopatu, ut apparet ex rationibus dubitandi, quarum circa omnes, & quosvis ordines est vis eadem, excepta prima ratione, quæ etiam ipsa parum admodum refert, cui potissimum Ordini applicetur, ut apparebit in eius responsione. Vrget verò paritas apertius, posito omnes ordines, etiam minores habere rationem sacramenti, uti positum à nobis est supra, præsertim de Subdiaconatu. Probatur idem rursus ratione D. Thomæ eademque iam communi apud omnes. Quia sacramenta, de quorum ratione, & essentia non est actus aliquis suscipientis, qualia sunt sacramentum matrimonij, & penitentia, nec non præsuppositiuè sacramentum Extremæ Vnctionis, valide conferuntur nondum habentibus vsum rationis. Qua de causa dictum est supra baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam, valide & cum fructu conferri infantibus rationis expertibus. Sacramentum autem Ordinis nullum suscipientis actum in se includit ex conceptu suo, quia solam confert potestatem quandam ad sacramenta ritè peragenda, ac administranda, sicut baptismus confert potestatem ad eadem suscipienda, & vtraque potestas æquè bene intelligitur subsistens in subiecto, absque alio ipsius actu. Vnde vltèrius colligitur, ne quidem consensus Parentum, aut aliorum gerentium curam paruuli, esse necessariam, necessitate sacramenti, ut valeat Ordo collatus paruulo, ut dictum est in simili circa baptismum. Eadem porro ratio est de amentibus, cuiusvis ætatis, dummodo non fuerint prius rationis compotes. Nempe qui prius ratione utebatur, si tunc dissentit, semper habitualiter dissentit, ideòque inualide ordinaretur. Quia de ratione gaudens libero arbitrio, vel tunc, vel prius, est ut non subeat aliquam eiusmodi variationem status, independentem à consensu suo absolute, & simpliciter voluntario, ac libero, ut sæpe dictum est in simili: Omnes igitur ordines valide conferri possunt cuius masculo bapti-

zato absque vlla exceptione. Nihil namque est, quod habeat apparentiam maiorem impedimenti irritantis ordinationem, quam defectus vsum rationis; quem tamen ostensum est, non irritare.

Art. 5. Notare specialiter oportet circa Episcopatum, duo in eo considerari posse, valde inter se diuersa. Alterum est Ordo ipse Episcopalis, seu potestas Ordinis collata ex vi sacramenti secundum se præcisè; & quoad hoc nullum est discrimen inter Episcopatum, & alios ordines, ut patet consideranti fundamentum nostrum. Alterum est iurisdictio, cura pastoralis, & matrimonium spirituale cum Ecclesia, cum onere eam gubernandi, & quoad hoc est magnum, ac manifestum discrimen. Quia eiusmodi onus imponi, seu suscipi nullatenus potest absque consensu libero suscipientis. Atque hoc posterius solum est, quod intendunt D. Thomas in 4. dist. 25. quæst. 1. artic. 1. quæst. 2. & D. Bonaventura ibidem, art. 2. quæst. 2. dum negant Episcopatum infanti, vel amenti valide conferri posse, neque aliud intendere consequenter possunt, quandoquidem negant ordinationem Episcopi habere rationem veri sacramenti, ut patet de D. Thoma in hac qu. 40. art. 5. & de D. Bonaventura in 4. dist. 24. parte 2. art. 2. qu. 3. Verum neque alij ordines collati rationis experti eum obligant ad aliquid, sed perinde relinquunt liberum, ac solum ad omnia, quæ voluerit, atque si ordinatus nullatenus fuisset.

Art. 6. Est & aliud discrimen, idque maius inter Episcopatum, & alios ordines, quia alius quilibet Ordo ex superioribus, confertur valide prætermisissis aliis inferioribus, idest per saltum, Episcopatus verò, non solum illicite, sed etiam nulliter confertur ei, qui non fuerit prius ordinatus Presbyter. Nempe inter alios ordines quilibet superior, ita est perfectior aliis inferioribus respectu sui, ut eos in se contineat eminenter, ideòque subsistit per se, etiam aliis non præsuppositis. At gradus Episcopalis, quatenus distinctus à Presbyteratu, seu quoad id præcisè, quod superaddit vltra Presbyteratum, ipsum nequaquam excedit, nec eundem in se continet eminenter, ut dictum est iterum supra ideòque collatus non Presbytero, est nullus. Concluditur itaque, quemlibet masculum baptizatum esse ex hoc præcisè capacem omnium ordinum, excepto Episcopatu, ratione modò signata.

Ad 1. Quæcunque sunt peccaminosæ, sunt absurde, & sunt absurda, & pleraque etiam ridicula. Sed non propterea non sunt re ipsa, aut non valent, conceditur itaque ridiculè, & absurde ordinari sacerdotem, aut Episcopum, eum qui caret vsum rationis, sed id conuenit sacramento ratione circumstantiæ accidentalit tantum. Plures autem circumstantiæ perinde ridiculæ, ac absurda adiungi multipliciter possunt, tum huic, tum aliis sacramentis, quin propterea annullentur, ut si consecratur, panis in ore canis. Adde in aliquo fortassis euentu, posse piè, ac laudabiliter conferri ex natura rei Presbyteratum, & Episcopatum nondum compoti rationis, ut si sperare non posset adfuturum esse provinciam alicui Catholice Presbyterum aliquem, vel Episcopum post aliquot annos, atque inde immineret periculum perituri ibi Religionis, si eam non foueat Presbyter, aut Episcopus, cum peruenerit ad maturitatem, qui fuit ordinatus infans.

Ad 2. Quo præcipuè nititur Durandus oppositæ author sententiæ patet ex notatione nuper præmissa art. 5. Dictum enim est experti rationis nullum imponi onus per ordinationem, sed esse purum fauorem, puro autem fauori ipsa humana natura sufficienter ex se præcisè consentit. Neque quicquam specialiter conuincit in contrarium verbum, accipe potestatem

scilicet accipe Spiritum Sanctum, quod ordinans dirigit ad ordinandum. Quia similiter in baptismo, qui certissime est conferibilis experti rationis, dicitur, *accipe signum Crucis, accipe sal sapientie*. Ratio utrobique est, quia talia verba non dicuntur à ministro sacramenti per modum facti, & contactus mutui; sed sunt operatoria se solis eius, quod significant, & solum dicuntur ad manifestandum voluntatem conferendi, ipsamque collationem potestatis spiritualis, & gratiæ, quæ collatio fieri potest absque consensu formali, & elicitio suscipientis, ex sola voluntate Diuina, impertiente dona sua, cui vult. Quod ad confirmationem attinet, sacramentum Pœnitentiæ, & Matrimonij requirit essentialiter vsum rationis in suscipiente, non ex magnitudine suæ perfectionis, sed quia constituitur intrinsecè per actum liberem ipsius suscipientis. Quod in hoc sacramento locum non habet vt notatum est supra.

Ad 3. Impedito posteriori non impeditur necessarium, quod prius est. Prior autem est potestas propria Ordinis quam actus eius. Vnde licet defectus vsum rationis impediat actus proprios ordinum, non propterea impedit Ordines ipsos, & potestates eorum proprias, vt dictum est iterum in simili circa baptismum, & confirmationem. Potest itaque inesse potentia ad aliquem actum subiecto absolute capaci eiusdem actus, quæ est intentio Philosophi, etiam pro eo tempore, pro quo idem subiectum, est accidentaliter impeditum, quominus operetur.

Ad 4. & 5. Dictum iam est supra plura requiri, vt decenter, & conuenienter conferatur sacramentum Ordinis, quam vt simpliciter, seu validè conferatur. Eiusmodi autem sunt, quæ ponderantur in duplici ea obiectione. Quia nihil eorum est impossibile cum potestate, & gradu præminentia purè spirituali, ac interna, sed solum cum decenti eius exercitio: ad quod ipsa potestas refertur, ac ordinatur intrinsecè. Sed neque subiectio serui est similis obiectioni fœminæ, siquidem seruo inest accidentaliter, & ab extrinsecò, fœminæ verò inest intrinsecè, ratione suæ indiuiduationis. Similiter dicitur de mutilato, atque inde impedito ab exercitio Ordinis, nempe id esse per accidens.

Ad 6. Diaconissas, idest fœminas fœminis aliis instruendis, subleuandis, in necessitate iuuandis, ac tenendis in baptismo, aliisque eiusmodi piis operibus destinatas, atque ad id muneris ceremoniam aliqua Ecclesiastica consecratas, virgines quidem per se, easque quadragenarias, in earum verò defectu, viduas sexagenarias, cepisse à tempore Pauli Apostoli, atque durasse ad Leonem vsque primum, dictas quoque nonnullas fuisse Episcopissas, Presbyteras &c. non ratione sui muneris, sed ratione Ordinis ad quem assumpti fuerunt mariti, aliaque eiusmodi prosequitur fustissime Vasquez tota disp. 246. Hoc vnum est consecrationem, seu benedictionem mulierum, ad quæcunque demum munera destinarentur, nunquam fuisse ordinem verè, ac strictè ralem, pro vsumitur. Ordo in præsentem pro gradum disponente ad aliquod altaris ministerium, & præparante ad suscipiendos ordines sacros, qui illis repugnant, ex institutione Diuina manifestata per traditionem, & praxim perpetuam Ecclesiæ, ex qua similiter, & ratione, & auctoritate innotescit, mulieres esse pariter incapaces primæ tonsuræ, utpote disponentis, ac præparantis ad ordines sacros, iuxta sensum, in quo ea vox vsurpatur communiter in præsentem, iam auctoritates inductæ in obiectione loquuntur de ordine, latè, ac improprie sumpto, pro determinatione ad aliquod munus peculiare.

QVÆSTIO CVII.

Verum sacramentum Ordinis imprimat characterem, & conferat gratiam?

VIdetur neutrum præstare. 1. Quia character Ordinis, est spiritualis quædam potestas, ad aliquid agendum, eaque inamissibiliter inherens. Ministris autem Ecclesiæ, qui ex vi sui Ordinis sunt infra Presbyteros, nulla conuenit potestas peculiaris ad aliquid agendum; & si quæ conuenit est amissibilis. Quia quicumque agunt ministri Presbyteris inferiores, possunt etiam agere, qui nullum vnquam ordinem suscipere; ita vt nullum sit discrimen reale inter operationes, & effectus eorum, vt patet in lectione Euangelij, vel Epistolæ delatione candelabri, & similibus; & præterea, qui suscipere ordines minores, possunt redire ad vitam laicalem, sicut prius. Ergo non est de ratione sacramenti Ordinis, vt imprimat characterem, saltem vniuersaliter, & secundum omnes suas differentias.

2. Sacramentum Ordinis præsupponit essentialiter sacramentum baptismi. Ergo character Ordinis, si daretur, præsupponeret similiter characterem baptismalem, hoc autem esse non potest. Quia character baptismalis est potentia passiuæ, ac receptiuæ aliorum sacramentorum, character verò Ordinis si daretur esset potentia actiuæ, & dispensatiuæ, aliorum sacramentorum. Potentia autem actiuæ non præsupponit essentialiter passiuam, sed è conuerso, vt patet in Deo, & creaturis inuicem collatis. Ergo nullus datur character Ordinis.

3. Si vnusquisque Ordo imprimeret peculiarem characterem, character Ordinis superioris præsupponeret intrinsecè characterem Ordinis inferioris, sicut omnes ordines præsupponunt characterem baptismalem, magis sibi dissimilem, quam sint ipsi inter se, & sicut calor intensus, præsupponit remissum, & adolescentia, pueritiam. Non autem datur eiusmodi præsuppositio, quia ordinatus per saltum, validè ordinatur, vt dictum est. In quæstione præcedenti. Ergo sacramentum Ordinis non imprimit characterem, saltem secundum omnes ordines.

4. Sacramentum Ordinis pugnat contra defectum ignorantia, vt vulgo dicitur, atque ex omnium sententia constituit distinctionem, & relationem inæqualitatis, inter ordinatum, & alios non ordinatos. Gratia autem habitualis non pugnat contra ignorantiam, sed contra solam peruersitatem voluntatis, & est communis omnibus diligentibus Deum. Ergo sacramentum Ordinis non est collatiuum gratiæ habitualis ex suo conceptu.

5. In promotione Episcopi ad Archiepiscopatum, aut Patriarchatum, vel etiam summum Pontificatum, in creatione Cardinalis, in collatione Archidiaconatus, Archipresbyteratus, nec imprimitur character, nec infunditur gratia habitualis. Ergo neque imprimitur, aut infunditur in ordinatione Episcopi, aut Presbyteri, & multo minus in collatione aliorum inferiorum ordinum. Consequentia tener à fortiori, quia quæ præmissa sunt, sunt maiora, ac præstantiora, magisque ardui ministerij.

Art. 1. Respondetur. Omnia nouæ legis sacramenta conferunt gratiam sanctificantem, vt dictum est supra in communi quæstion. 19. & quæ sunt interabilia atque collatiua potestatis alicuius peculiaris ad cultum Dei, imprimunt insuper characterem, vt dictum est itidem in communi quæstion. 31. Ordo autem est verum nouæ legis sacramentum, idque collatiuum potestatis peculiaris ad cultum Dei, nempe ad rite peragendum mysterium Eucharistiæ,

ut patet ex dictis hucusque, praesertim quaest. 102. Ergo sacramentum Ordinis imprimit characterem, & confert gratiam. Quoad etiam liquet, quoad characterem ex Concil. Florent. in decreto Eugenij §. *Hac omnia*, & ex Trid. sess. 23. cap. 4. initio; quoad gratiam vero ex Florent. ibidem §. *sextum Sacramentum*, & ex Trid. ibidem cap. 3. Confirmatur, quia ij quibus confertur peculiaris aliqua potestas fori exterioris, ac sensibiles, praemununtur signo aliquo exteriori, aut instrumentum publico, manifestatio potestatis acceptae; eisdemque prouidentur adiutoria, & adminicula omnia exteriora, quae sunt necessaria ad perfectum munus, & potestatis collatae exercitium. Ergo quibus confertur potestas spiritualis, insensibilis, ac interna, confertur similiter, iuxta perfectam praesentiam normam, signum internum, & spirituale manifestatum potestatis collatae; necnon auxilium gratiae, necessarium ad perfectum exercitium eiusdem potestatis. Per Sacramentum autem Ordinis confertur à Deo specialis potestas ad altissimum ministerium, quale est peragere ritè mysterium mysteriorum, ut liquet ex definitione, & sine huius sacramenti expositis, quaest. 102. & ex veritate verborum formae eius, ut liquet ex formulis indicatis qu. 104. ab art. 9. *Accipe potestatem, &c.* Confert igitur Deus vi huius sacramenti signum spirituale, ac intelligibile (idest characterem) potestatis praedictae simul cum ipsa potestate, necnon subsidia gratiae, opportuna eidem potestati laudabiliter, & perfecte exercendae, quorum per sacramenta conferendorum radix, & fundamentum necessarium est gratia habitualis, ut dictum est in communi. q. 28.

Art. 2. Confert porro istud sacramentum vberiorē gratiam, quam vllum aliud sacramentum praeter Eucharistiam. Quia videlicet est perfectius, quam reliqua quinque sacramenta, ut dictum est supra in communi, quaest. 35. artic. 4. atque disponit ad altissimum ministerium eiusdem Eucharistiae ritè peragendae, quod proinde, ut dignè, & perfecte exhibeatur est opus maximè arduum, ac excellens; atque Deus, cuius perfecta sunt opera, dat vires operi, ad quod vocat, ac destinat pares. Dat verò istud sacramentum vbertatem istam gratiae, praecise praesupponendo primam gratiam, eamque augendo; idque cum primum confertur ipsum sacramentum, si tunc non adsit obex, si minus postea recedente obie, iuxta dicta in communi, qu. 26. & 30. Auxilia verò gratiae actualis confert, quoties, & quando occurrit occasio exhibendi ministerij congruentis vnique ordinato. Characterem verò confert in illo ipso instanti, in quo perficitur ipsum sacramentum, & cum primum existit adequatè quoad conceptum suum essentialem. Quod si tunc adsit obex characteris, nunquam is imprimitur, aut fieri potest, ut imprimatur vi eiusdem numero sacramenti, quod videlicet eo ipso est nullum, ut liquet ex eadem. q. 30.

Art. 3. Character Ordinis, essentialiter praesupponit characterem baptismalem, eadem ratione, quā in qu. praecedenti dictum est sacramentum Ordinis soli baptizato conferri valde posse, atque adeo essentialiter praesupponere Baptismum. Characterem verò Confirmationis, non praesupponit essentialiter characterem Ordinis. Quia non est de essentia potestatis ad ministrandum Altari potestas ac idoneitas ad pugnandum fortiter pro fide. Congruum nihilominus est, ut suscepturus Ordinem, susceperit prius confirmationem, qua redditur specialiter idoneus, ad actus Ordinis dignè, ac decenter exercendos, ut dicit D. Thom. qu. 35. artic. 4. aliiq. communiter. Quae de causa Concil. Trid. sess. 22. cap. 4. de reformat. cauet, ne vel prima tonsura initientur, qui sacra-

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

mentum Confirmationis non susceperint; tametsi videatur id minimè prohibere sub lethali, eaque sit communis existimatio.

Artic. 4. An characteres singulorum ordinum, alij alios serie quadam necessariò praesupponant; non vna omnium Theologorum sententia est. Qui enim putant collationem ordinum minorum, aut etiam Subdiaconatus, & Diaconatus, non habere rationem sacramenti, consequenter dicunt, nullum per illam imprimi characterem, idemque dicunt de consecratione Episcopi cui similiter ipsi negant rationem sacramenti, proptèr distinguuntur ab ordinatione Sacerdotis. Sed nonnulli etiam ex iis, qui consecrationem Episcopalem putant esse seorsim sacramentalem, dicunt nullum nihilominus, characterem nouum per eam induci, sed solam superaddi nouam quandam denominationem, seu modum relatiuum characteri sacerdotali, quae sunt opiniones Soti, & Vasquez. Idemque iidem dicunt, de posteriori Ordinatione partiali sacerdotis, per quam accipit potestatem remittendi peccata, vltra potestatem consecrandi, datam priori alia ordinatione partiali.

Art. 5. Dicendum in primis est vnamquamque ordinationem, siue sacram, siue non sacram, peculiarem suam characterem imprimere. Quia qu. 103. stabilitum est, omnes ordines, siue sacros, siue non sacros, siue maiores, siue minores, habere rationem veri sacramenti. Certum autem est apud Theologos omnem, & quamlibet ordinationem, quae habet rationem veri sacramenti, esse impressiuam veri characteris peculiaris, nec discrepant inter se quoad hoc punctum, nisi quatenus discrepant quoad rationem sacramenti. Vnde eundem proportionaliter certitudinis gradum obtinet, quod modo dictum est de characterè, quem obtinet, quod ibi dictum est de ratione sacramenti. Dicendum rursus est, post Concilium Tridentinum videri indubitabile per collationem Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, imprimi characterem. Quia sess. 23. can. 4. definitur à Concilio, per sacram ordinationem imprimi characterem. Ordinatio autem sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi, est sacra, quandoquidem isti tres ordines sunt sacri, ut dictum est supra, neque de hoc est controuersia inter authores. Dicendum tertio est Presbyterum accipere duplicem characterem partialem, ex duplici sua ordinatione partiali. Quia vtrilibet ordinatio confert permanentem suam peculiarem potestatem spiritualem, ad cultum Dei, ac proinde, & peculiarem characterem imprimere debet, ut apparet ex ratione fundamentali istiusmodi characteris secundum se, tum indicata prius, tum deinde ponderata artic. 1. Dicendum denique est, eadem ratione consecrationem quoque Episcopi, superaddere sacerdoti peculiarem characterem. Quia videlicet superaddit peculiarem potestatem spiritualem, eamque inamissibilem ordinandi ministros Ecclesiae, confirmandi, aliaque plura peragendi, ut liquet ex definitione Tridentini praedicta sess. 23. cap. 4. post medium, ac proinde superaddit characterem similiter specialem. Quod quidem qua ratione positiua in dubium reuocetur, ego prorsus non video, nec assequor vllam doctrinam, & fundamenti consequentiam, apud eos, qui agnoscunt characterem aliquem sacramentalem, praecipue verò apud eos, qui agnoscunt aliquos duos characteres, seu partiales, seu totales, verè distinctos inter se, & negant nihilominus peculiarem characterem, tum Episcopalem, tum Presbyteralem, indicatum, seu contentiuum potestatis ad remittenda peccata.

Art. 6. His ita suppositis tria facillè subinferuntur quoad punctum propositum. Primum est, quod character sacerdotalis non praesupponit essentialiter caracte-

res aliorum inferiorum ordinum, & sic de cæteris respectuè. Alterum est; esse illicitam, ac inhonestam collationem, & susceptionem characteris pertinentis ad ordinem aliquem superiorem, non præsupposito characterè pertinente ad ordinem, seu ordines inferiores respectuè. Vtriusque hoc apparet clarè ex capite vnico superius considerato *de Clerico per saltem promoti*, necnon ex Concilio Trident. sess. 23. can. 2. vbi dicitur in Ecclesia Catholica esse alios ordines, præter sacerdotium, & maiores, & minores, *per quos velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur*. Tertium est: characterem Episcopalem intrinsecè dependere à characterè sacerdotali, similiterque dependere characterem sacerdotis, quatenus potestis seminare peccata, ab eiusdem characterè, quatenus potestis consecrare. Vtrique pars huius asserti est communiter recepta apud omnes Theologos agnoscens vtrumque eum peculiarem characterem; ij etiam, qui neutrum agnoscunt, fatentur nulliter promoueri ad Episcopatum, aut ad munus Confessarij, cum qui prius non est sacerdos, & præditus potestate consecrandi Eucharistiam. Quia videlicet potestas circa verum Christi, Corpus, est præcipua, & summa, inter omnes potestates spirituales seorsim consideratæ, ideoque est fundamentum præcisè necessarium, vtriusque eius potestatis, supra Corpus mysticum Christi, quod promiscuè coalescit ex sacerdotibus, & non sacerdotibus. Alioquin enim fieri posset, vt inferior haberet potestatem supra superiorem se, non secundum quid tantum, sed etiam simpliciter, & absolute talem, nempe non sacerdos, supra sacerdotem. Quod est impossibile. Adde postremò non solum characterem Episcopalem cum sacerdotali, & characterem remissionis peccatorum, cum characterè consecrationis Eucharistiæ, sed etiam reliquos characteres superiores, cum inferioribus, comparari quodammodo sicut gradus intensiōis, & remissionis, atque ex omnibus simul sumptis, coalescere demum vnum characterem perfectum, seu totalem, & adequatum. Suadet hoc eadem ratio, qua supra quæstion. 103. Ostensum est omnes ordines esse vnum sacramentum, & constituere eatenus vnum quoddam potentiale, vnitæ proprietati, licet gradus, ex quibus confurgit, sint Heterogenei, ac dissimiles. Quia videlicet omnis character sacramentalis refertur intrinsecè ad vnum, idemque mysterium Eucharistiæ, modo ibi explicatò. Ex his apparet sacramentum Ordinis, imprimere characterem, & conferre gratiam sacramentalem, idest coniunctam cum iure auxiliorum actualium, quando, & quatenus opus fuerit, & quo pacto præstet istos effectus.

Ad 1. Potestas Ordinum alia est iuris, & perfectionis tantum; alia verò, & facti, & iuris, ac perfectionis simul. Episcopatus enim, & Presbyteratus, quoad functiones ipsorum proprias, continent in se potestatem, non solum iuris, & perfectionis, itavt iure suo illas exequi valeant, & perfecte, ac decenter exequantur; sed etiam continent potestatem facti, itavt valide illas exequantur, & invalide, ac nulliter eadem fiant, à non habente potestatem Ordinis. Alij verò ordines Episcopatu, & Presbyteratu inferiores, licet non conferant potestatem facti, quatenus functiones ipsorum propriæ, sistant in opere exteriori, ac sensibili, ideoque in ipsa non potest cadere differentia valoris, & nullitatis, conferunt nihilominus potestatem peculiarem iuris, & perfectionis, quatenus Diaconus, & Subdiaconus iure suo, & decenter exercent ex vi suorum ordinum, functiones aliquas peculiares, ad quas destinantur, vtque eas exequantur perfecte, accipiunt peculiarem gratiam, ex sua ordinatione, vt dictum

est. Quæ omnia desunt non habentibus eisdem ordines. Idem dicitur proportionaliter de alijs ordinibus inferioribus. Quia verò eiusmodi potestas iuris, & perfectionis, confertur inamissibiliter, atque supernaturaliter, propterea confertur per impressionem characteris indelebilis, qui proinde permanet etiam in iis, qui cessant ab Altaris ministerio, & digrediuntur ad vitam laicaliter agendam; itavt si iterum redire velint ad ministerium Altaris, nec indigeant noua ordinatione, nec desit specialis gratia ad illud rite, & perfecte præstandum.

Art. 1. Ad 2. Potentia actiua, quæ non conuenit alicui ex se, sed datur ab alio, necessariò præsupponit potentiam passiuam, per quam fiat susceptivus illius. Quod si neque potentiam ipsam passiuam, congruentem eidem potentia actiua habeat ex se, necesse est, vt eam quoque accipiat ab alio, vtque accipiat prius, quam potentiam actiuam, quia prius est esse susceptivum alicuius, quam id suscipere. Potentia autem actiua perficiendi, & administrandi sacramenta, quæ habetur per ordinem, non conuenit homini ex se, sed datur à Deo, & rursus potentia passiva, & idoneitas ad suscipiendum ordinem, nec ipsa conuenit homini ex se, sed datur à Deo per Baptismum, vt ostensum est supra. Ergo character Ordinis, cui est deinde potestas actiua administrationis sacramentorum, necessariò præsupponit characterem Baptismalem, cui est deinde potestas susceptiva aliorum sacramentorum, nec ille haberi potest isto non præhabito. Potentia actiua Dei conuenit ipsi ex se, ideoque non præsupponit potentiam ullam passiuam, sed magis præsupponitur ipsa ad omnem potentiam passiuam aliorum.

Art. 2. Ex asserta præsuppositione omninò necessaria, characteris baptismalis, respectu characteris ordinis, suboritur difficultas. Quia inde fieret, vt si quis non ante baptizatus promoueretur, siue culpabiliter, siue inculpabiliter, ad Episcopatum, vel ad sacerdotium, promotio esset nulla, & consequenter essent nullæ consecrationes, absolutiones sacramentales, & ordinationes omnes deinde subsequentes, atque hoc inconueniens ita serperet temporis decursu, vt tandem aliquando nullus superesset in Ecclesia Dei verus Episcopus, verusve sacerdos. Ad quod responderetur cum D. Thoma, quæst. 35. art. 3. ad 2. cumque aliis communiter, Christum Dominum, qui est summus, & æternus sacerdos, nec habet virtutem ex sua natura alligata instrumentis sacramentorum, supplementum esse virtute sua immediatè defectum sacramentorum quoad ultimos ipsorum effectus gratiæ, & remissionis peccatorum, nec permissurum esse, vt tale inconueniens diu lateret, multumque serperet in Ecclesia. Quia ex ipsius promissione habetur, quod portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam suam, quo minus scilicet semper perseueret cum veris sacramentis, verisque eorum ministris; nec vquam deest facientibus, quantum est in se bona fide.

Ad 3. Patet ex articulo 6. Patet insuper ex nuper dictis ratio discriminis, ob quam omnes ordinum characteres necessariò præsupponant characterem baptismalem, inter se verò non necessariò seruent similem seriem præsuppositionis. Quia videlicet character baptismalis ex sua natura, est susceptivus, ac passivus; character verò Ordinis principaliter est potius activus, ideoque non est de eius ratione, vt inferior præsupponatur necessariò ad susceptionem maioris, seu præstantioris.

Ad 4. Sacramentum Ordinis dicitur pugnare contra ignorantiam, non quod eam pellat ab eo, qui ordinatur, sed quia disponit ordinatum, vt illam pellat ab alijs. Quia verò ad hoc est necessaria specialis gratia

gratia, propterea hæc etiam datur per sacramentum Ordinis, & non ut distinguat ordinatum ab aliis, non ordinatis. Nec enim sacramentum Ordinis inducit distinctionem, & inæqualitatem per omnes suos effectus, sed per aliquem tantum.

Art. 1. ad 5. Summus Pontificatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, aliique similes gradus Ecclesiasticæ, aut temporalis dignitatis non conferunt potestatem ad inducendos immediatè operatione sua effectus supernaturales, purè spirituales, ac internos, neque quidquam eatenus superaddunt supra potestatem Episcopalem, ac Presbyteralem; sed solum disponunt ad exteriorem, ac sensibilem directionem, ac gubernationem fidelium, nec effectum vllum supernaturalem, ac purè spirituales inducere possunt, nisi per solam ad summum applicationem causæ immediatè, in se continentis effectus eiusmodi. Propterea promotio ad tales dignitatum gradus non imprimit characterem, qui est forma supernaturalis, purè spiritualis, & purè interna, sed insunt vnicuique ex vi signorum, seu suffragiorum exteriorum itidem, ac sensibilibus. Oppositum accidit in ordinibus sacramentalibus, ut ponderatum est supra art. 1. Eadem ratio discriminationis tenet etiam suo modo, quoad infusionem gratiæ, ut indidem apparet.

Art. 2. Datur nihilominus aliqua proportionalis similitudo inter prædicta extrema, quoad punctum intentum in obiectione. Quia dignitas Pontificalis, Cardinalitia, Archiepiscopalis, aliæque similes, etiam purè temporales insunt intrinsecè, & habentur ab unoquoque habitualiter, ac permanentè per species impressas voluntatis, seu suffragiorum, vi quorum obtinent singuli suos peculiare dignitatis, ac potestatis gradus, ut dictum, ac expositum est quæst. 6. de virt. iust. similiter ergo gradus ordinum Ecclesiasticorum, & potestates eorundem propriè habentur per species impressas, repræsentatiuas gradus vnicuique conuenientis, nisi quoddam posteriores istæ species impressæ, sunt intrinsecè supernaturales, atque incorruptibiles, inamissibiles, utpotè, auctorem habentes Deum immortalem, inhærentes immediatè animæ itidem immortalis, expertes omnis contrariæ qualitatis, atque ordinatæ ad effectus intrinsecè supernaturales. Dictum nimirum est supra in communi qu. 31. characteres sacramentales intrinsecè, & adæquatè constitui per eiusmodi species impressas.

QVÆSTIO CVIII.

Vtrum Ordines Ecclesiastici sint inæquales, atque inuicem subordinati perfectè?

Videntur esse æquales, absque vlla mutua subordinatione. 1. Quia media ordinata ad eundem finem, sunt eiusdem rationis, sicut fines consequibiles per eadem media, sunt eiusdem rationis, & æquales inter se absque vlla subordinationis differentia. Omnes autem ordines Ecclesiastici referuntur ad vnum, eundemque finem, scilicet peragendi mysterium Eucharistiæ, ut dictum est supra. Ergo omnes ordines Ecclesiastici sunt eiusdem rationis, & prorsus æquales inter se.

2. Episcopatus non est superior Presbyteratu. Ergo nec Presbyteratus est superior Diaconatu, & sic de cæteris similiter inuicem comparatis. Patet consequentia, quia ita se habet Presbyter, ad Diaconum, & Diaconus ad Subdiaconum, &c. sicut se habet Episcopus ad Presbyterum. Probatur antecedens, quia nullum opus est maius in Ecclesia Dei, quam consecrare Corpus Christi. Ergo nullus gradus, nullaque potestas est maior in Ecclesia Dei, quam quæ sufficit

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

ad tale opus: sufficit autem ad illud gradus, & potestas propria Presbyteri. Ergo gradus, ac potestas Episcopalis non est maior, ac perfectior, quam Presbyterialis.

Confirmatur auctoritate Augustini, & Hieronymi. Augustinus enim Epist. 19. ad Hieron. c. 4. fine. *Quamuis, ait, secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ usus obtinuit Episcopatus Presbyterio maior sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Censet igitur Augustinus differentiam Episcopatus à Presbyteratu esse purè accidentalem, & solum quoad aliquid extrinsecum. Significantius, & pluribus idem dicit, ac prosequitur Hieronymus ipse in cap. 1. Epist. ad Titum, circa illud, & constituas per civitates Presbyteros, ubi hoc statuit principium: *Idem est Presbyter, qui Episcopus*, scilicet primæ, ac Diuina institutione, multisque mox in eum scopum ponderatis, concludit idem sic: *Hæc adduximus, ut ostenderemus apud veteres, eosdem fuisse Presbyteros, & Episcopos.* Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi prepositus fuerit esse subiectos: Ita Episcopi nouerint se magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiæ regere. Quod ipsum multipliciter vrget, atque confirmat in dialogo aduersus Luciferianos, & Epist. 165. ad Enagrium. Ergo Episcopus & Presbyter ex vi Ordinis, quem solum habent sacramentaliter ex dispositione, ac institutione Diuina sunt inter se prorsus pares, omnisque inter eos disparitas, ac inæqualitas, est extrinsecus superaddita, ex lege, ac dispositione humana.

3. Summus Pontificatus non est Ordo maior, ac perfectior, quam gradus Episcopalis secundum se. Ergo nec gradus Episcopalis est maior, ac perfectior, quam Presbyterialis, & sic de cæteris simili modo. Cōsequentia tenet sicut in præcedenti. Probatur antecedens. Primo, quia quilibet Episcopus potest consecrare ac promouere summum Pontificem, & de facto, si prius non erat Episcopus, consecratur, ac promouetur ab Episcopo Ostiensi. Minor autem non potest consecrare, ac promouere maiorem; ut apparet ex Epistola ad Hebr. 7. 7. Deinde omnes Episcopi sunt successores Apostolorum. Omnes autem Apostoli fuere inter se æquales ordine, ac potestate. Quia potestas ligandi, atque soluendi data seorsim Petro, Marc. 16. similiter data est omnibus promiscuè Apostolis, Ioan. 20. 23.

4. Omnes, qui sunt destinati ad peragendum sacrificium Eucharistiæ, gerunt in Ecclesia figuram Christi, qui semetipsum obtulit Patri pro nobis. Omnes autem, qui vnius eiusdemque figuram gerunt, in ordine ad aliquid vnum, sunt inter se pares. Cum ergo omnes Ecclesiæ ministri ex vi sui Ordinis sint destinati ad peragendum sacrificium Eucharistiæ, ut dictum est, omnes viique sunt inter se pares, eiusdemque rationis.

Art. 1. Responderetur. Perfectio potentie manifestatur ex perfectione sui actus, rursus perfectio actus ex perfectione sui obiecti. Actus autem proprius potestatis sacerdotalis, est offerre sacrosanctum corporis, & sanguinis Christi sacrificium, & remittere peccata per sacramentum baptismi, Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, quibus actibus, & obiectis nihil potest esse maius, aut etiam æquale. Igitur Ordo sacerdotalis est maior ac præstantior, quam quilibet alius Ordo separabilis ab ipso; ideoque tenet primatum inter omnes ordines adæquatè distinctos ab ipso. Quoddam autem est propinquius primo, est prius, ut dicit Philosophus, & per se satis patet. Quapropter Diaconatus, est Ordo post Presbyteratum potior cæteris. Quia actus eius est, exhibere immediatè materiam consecrandam in vasis sacris, & legere, ac annunciare populo inter Missarum solemnia, sanctum Iesu Christi Euangelium, quibus actibus, &

X x 3 obiectis

obiectis nihil superest maius; aut æquale, atque muneri sacerdotali æquè propinquum, pro reliquis ordinibus; simili ratione Subdiaconatus præcellit ordinibus minoribus, quia ad Subdiaconum similiter spectat legere, ac manifestare populo inter Missarum solennia, Epistolam sacram, & tradere Diacono in altari vasa sacra, Calicem, & Patenam, nec non materiam consecrationis in illis reponendam, in quibus clarè apparet similis excessus respectu actuum, & obiectorum spectantium ad Ordines minores. Inter Ordines verò minores præminet Acolytus, qui videlicet simili ministerij coniunctione annectitur immediatè Subdiacono, utpote præparans vireculos vini, & aquæ, ac deferens propè Altare totam consecrationis materiam, & lumine, quod manu gerit, illustrans sacrificij Diuini locum; reliqui tres Ordines non versantur circa materiam consecrationis, aut consecrationem ipsam; sed circa suscepturos Eucharistiam, ideòque longius recedente à sacramento Eucharistiæ, & à munere sacerdotali, quod utrumque est regula, & mensura totius in hoc genere perfectionis. Versantur porro tres prædicti ordines circa suscepturos Eucharistiam, mundando illos, seu purgando, ac disponendo ad suspensionem dignam. Vnde is est inter eos potior, ad quem pertinet cura de minus immundis, minusque indispositis. Itaque Exorcista, ad quem pertinent fideles iam instructi; solumque extrinsecus impediti à Dæmone, est superior. Lector, ad quem pertinet instructio catechumenorum volentium iam credere, & Ostiario, cuius est remouere infideles nolentes credere, qui sunt infimum hominum genus, sicut est etiam infimum alterum ostiarij ministerium, ut pulsu campanæ conuocet populum ad Ecclesiam. Series igitur perfectionis, inter ordines Ecclesiasticos inter se separabiles, hæc est sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, Ostiarius.

Art. 2. Facta porro est comparatio inter prædictos Ecclesiæ ministros penes actus, & obiecta spectantia ad vnumquemque eorum, ex vi suæ ordinationis; iuxta significationem, & vim materiæ & formæ, quibus vnaquæque ordinatio peragitur, præsertim in Ecclesia Latina, prout indicatum est supra qu. 104. Nempe variæ aliæ functiones, & munera, quæ pro diuersis temporibus diuersa, nec vbiq; eadem commissæ præterea, ac delegata sunt vnicuique ministrorum, præsertim inferiorum generi, & latè referuntur à Vasquez, Martinson, & alijs in præsentia nihil conferunt ad eorum dignitatem, & perfectionem intrinsecam dignoscendam utpotè per accedens adiuncta ex humana dispositione. Quod si eodem modo comparatur Episcopatus cum Presbyteratu; concludetur Episcopatum, secundum id, quod superaddit simplici sacerdotio, & penes quod ab eo distinguitur, esse eodem inferiore, minorisque perfectionis. Propria namque, & peculiaris operatio Episcopi est ordinare ministros Ecclesiæ, conferre sacramenta Confirmationis, aliaque similia peragere. Hæc autem, tum singula seorsim, tum coniunctim omnia, sunt multo minoris perfectionis, quam consecrare Eucharistiam, eo utique distantie proportionaliter intervallo; quo sacramentum Eucharistiæ superat sacramenta cetera, & sacramentalia. Est igitur longè minor accessio perfectionis, quam Episcopatus specialiter adiungit simplici sacerdotio, quam sit cumulus perfectionis conueniens eidem sacerdotio secundum se, ut liquet ex præmissa regula, & mensura perfectionis istiusmodi potestatum. Gradus nihilominus Episcopalis superat perfectione sibi intrinseca absolute, & simpliciter gradum Presbyteralem, etiam quoad id præcisè, quod conuenit Episcopo ex vi Ordinis, & sacramenti, quia illum essentialiter in se includit, ei-

quæ superaddit; atque quodlibet finitum additione sit maius, tametsi additio secundum se sit minor, quam id cui adiungitur.

Art. 3. Iam verò, quod in hoc discursu supponitur ordinationem Episcopi habere veram rationem sacramenti, & quod consequenter dictum est in quæstione præcedenti, eandem imprimere peculiarem characterem partialem, & peculiarem itidem gratiam conferre; præterquam quod ibidem sufficienti ratione ostensum est, comprobatur etiam efficacissimè ex Concilio Trident. sess. 23. Primum enim cap. 3. cum definisset, *dubitare neminem debere, ordinem esse verè, & propriè vnum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis* immediatè id probat ex verbis Apostoli 2. ad Timoth. 1. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* In quibus enim verò verbis sermo est de ordinatione Episcopi, iuxta communem Patrum, aliorumque interpretum sententiam, sicut etiam, 1. ad eundem Timoth. 4. 13. dum dicitur. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.* Rursus cum can. 3. similiter præmisisset sacram ordinationem esse verè, & propriè sacramentum, subiungit mox can. 4. eandem sacram ordinationem dare Spiritum Sanctum, ideòque Episcopos non frustra dicere, *Accipe Spiritum Sanctum.* Dicunt autem hæc verba, etiam cum ordinant alios Episcopos. Ergo ordinatio etiam Episcopi, est collatiua gratiæ, & verè, ac propriè sacramentalis. Demum cap. 4. & can. 6. ac 7. definit non omnes sacerdotes pari inter se potestate spiritali præditos esse, Episcopos in Apostolorum locum successisse, atque ad Ecclesiasticam Hierarchiam, seu Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & Presbyteris superiores esse, habereque potestatem cum ipsis minimè communem confirmandi, ordinandi, & alia pleraque peragendi. Quæ omnia cum alijs similibus pertinentibus ad Episcopos, atque ordinationem eorum claudit postremò, dicto cap. 4. his verbis: *Hæc sunt, quæ generatim sacra Synodo visum est Christi fideles de sacramento Ordinis docere.* Magnam autem partem, eamque immediatè præcedentem de sacramento Ordinis minimè docuisset, si ordinatio Episcoporum rationem sacramenti non haberet, nec Episcopis ex vi sacramenti conuenirent, quæ sunt ipsorum propria, & ut alia commemorata modo sunt. Certissimum igitur est, ordinationem Episcopi habere rationem veri sacramenti.

Art. 4. Accedit auctoritas Anacleti Papæ Epist. 2. c. 1. ubi loquens de Vnctione Chrismatica, quæ fit ordinatione Episcopi, eam agnoscit causatiua gratiæ, adeòque sacramentalem his verbis. *Omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cuius virtus inuisibilis sancto Chrismati permixta.* Similiter Epist. 3. cap. 1. gradum Episcopalem, perinde, ac Presbyteralem appellat ordinem, & utrumque declarat à Domino constitutum, dicens: *Sacerdotum Ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari.* Additque post pauca: *Episcopi Domini Apostolorum, Presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent.* Eodem pertinet, quod docet Dionys. c. 5. Ecclesiæ Hierarch. Episcopo, Sacerdoti, & Diacono, cum ordinatur, *virtutem sacratiorem, habiitumque infundit.* Eandem gratiæ largitionem in ordinatione Episcopi, quæ proinde sacramentalis sit, necesse est, supponit potius, ut indubitatè, quam docet ut ignotam Ambrosius c. 5. de dignitate Sacerdotali. *Quis dat, ait, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondet sine dubio Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus. Deus largitur gratiā.* Idè est cõmunis Patrum sèsus apud Bellar. li. 1. de Clericis à c. 4. atq; hæc eorū cõsensio ex eo vltèrius apparet, quia cõmuniter docet Episcopos noui Testamenti correspondere Aaroni, Presbyteros filiis Aaronis, Diaconos,

Diaconos, aliosque ministros Leuitis. Patet autem Aaronem ex vi sui Ordinis, exque diuina institutione, fuisse filiis suis, Leuitisque superiorem, ergo Episcopi sunt similiter superiores Presbyteris, aliisque ministris, ex vi sui ordinis, seu prerogatiua, & potestate accepta per suam ordinationem, subsistentem institutione diuina, proindeque sacramentalem.

Artic. 5. Præter istum autem excessum, qui conuenit Episcopis supra Presbyteros ex vi suæ ordinationis, & ratione characteris Episcopalis, ideoque inamissibiliter, & pro omni euentu, conuenit insuper præminencia iurisdictionis, ad iudicandos Presbyteros, ad subiciendum singulis eorum determinatum populum, seu numerum fidelium, circa quos exerceant iurisdictionem fori interni, & ad inferendas leges conseruandæ, ac promouendæ Ecclesiastica disciplinæ, atque animarum salutis congruentes. Nempe potestas, quæ non potest conuenienter exire in actum, nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus, ac dispositionibus præuiis, pertinentibus ad aliam potestatem, ab hac alia potestate dependet ex natura rei, eademque subordinatur. Potestas autem sacerdotalis ad soluendum, & ligandum, non exit conuenienter in actum, nisi præsupposita conuenienti diuisione fidelium, qui vniuscuiusque iurisdictioni determinatè subdantur, eiusdemque pastoralis curæ, ac vigilantia subiacent. Hanc autem superiorem, ac vniuersaliorum potestatem, qui habet, dicitur Episcopus, idest inspector, & curator. Vnde Hieronymus dicit in caput illud 1. Epist. ad Titum, Episcopum esse nomen officij, idest curationis, & gubernationis, atque Tridentinum loco nuper indicato definit Episcopos positos esse à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, & Presbyteris superiores esse tanquam successores eatenus Apostolorum. Quia verò potestas directiua est nimium debilis, nec assequitur efficaciam quanta conueniens, & necessaria est, nisi præmuniatur potestate coërcitiua, ac iudiciali, istam quoque obtinent super Presbyteros, quando non dubitatur Apostolos Episcoporum aliorum prædecessores habuisse; eandemque ad reliquos Episcopos deriuatam esse, colligitur inter alia ex prima ad Timotheum Episcopum, 1. 19. ubi Apostolus præscribit formam, qua Presbyteri iudicari, & puniri debent ab Episcopis, dicens: *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.*

Artic. 6. Necessè autem fuit, vt plures cum eiusmodi potestate constituerentur Episcopi, in diuersis orbis partibus. Quia fides Christi debeat in omnes eius partes propagari; nec poterat vnus Episcopus sufficere pro immediata, vbique eiusmodi gubernatione, directione, ac iudicio. Quia de causa Episcopi cæteris similes Aaroni; quoad numerum sunt dissimiles eidem, qui fuit vnus in pontificali dignitate constitutus, sicut erat vnus etiam populus legi veteri deuinctus, cum populus Christianus legis Euangelicæ professor, sit per totum terrarum orbem diffusus; necesse verò præterea fuit, vt præter Episcopos, singulos seorsim Diocesibus regendis per varia loca distributos, constitueretur vnus alius Episcopus supremus, qui totius corporis Ecclesiæ, curam haberet, atque cæteris Episcopis vna cum fidelibus omnibus, ita præficeret, sicut singuli alij Episcopi præfunt vnicuique Ecclesiæ particulari, & Presbyteris aliisque fidelibus ad ipsam pertinentibus. Quia vbique sunt multa regimina ordinata ad vnum finem vniuersalem omnium, oportet constitui vnum præminentem cæteris omnibus, qui omnia, dirigat, ac dirigat ad eundem finem. Norma porro directionis, & regiminis, in omnibus virtutibus, & artibus, sequitur Ordinem finium. Finis autem totius populi Christiani, quia Christianus est, est vnus Dominus colendus sub vna fide, & per vnum Baptisma, Oportuit igitur vt præficeretur toti populo Christiano

vnus supremus Episcopus, qui cum summa potestate eum regeret, in vnitatem fidei conseruaret, & ad suum finem dirigeret; atque hic est summus Pontifex, Vicarius Christi in terris, & Successor D. Petri, cui pro se, & pro successoribus suis dictum est, Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta Inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo Claves Regni Cælorum, &c.* Quæ vsque adeo ampla promissio ventura latè tempora respiciens, certissime est aliquando adimpleta, utpote auctorem habens infallibilem; censetur verò communiter adimpleta cum eidem Petro dictum est 21. Ioann. 15. *Pasce Agnos meos, pasce oues meas.* De ista vniuersali, ac suprema pascendi cura, & potestate propria Petri, & successorum eius, videri possunt, quamplura luculenter, & efficaciter eam confirmantia inter alios, apud Bellarm. lib. 1. & 2. de Romano Pontifice.

Artic. 7. Circa istiusmodi præminentiam iurisdictionis, duo obseruanda supersunt, quæ sunt præsentis instituti. Alterum est, excessum conuenientem Episcopo respectu Presbyteri, præcisè ex vi Ordinis, esse excessum quoad perfectionem eiusdem generis, excessum verò conuenientem ratione iurisdictionis, esse quoad perfectionem diuersi generis. Ratio est manifesta, quia iurdictio tota continetur immediate intra limites fori exterioris, ideoque differt toto genere à potestate Ordinis, quæ tota est relatè ad sacramenta, maximè verò ad sacramentum Eucharistiæ; Quod quidem per se patet de potestate propria Parochi. Sed neque obscurum est de potestate propria Ordinis Episcopalis. Quia præcipuus eius actus est Ordinare ministros idoneos ad ministerium Eucharistiæ ritè peragendum. Vnde patet Episcopum ex vi sui Ordinis, differre à Presbytero, ad eum ferè modum, quo differt magister à discipulo, & Dux exercitus à Duce legionis, vel centuriæ, quamquam exemplum non est omnino adæquatum. Excessus vero summi Pontificis supra Episcopos alios particulares totus est eiusdem generis, vt dicit D. Thomas qu. 40. artic. 6. ad 3. Quia quoad Ordinem, & administrationem sacramentorum omnium sunt prorsus æquales, totaque proinde differentia est, quoad iurisdictionem maiorem, & minorem, ideoque tota est intra idem genus. Alterum consequenter notandum est, excessum Episcopi ratione Ordinis secundum se, esse inamissibilem, atque inaufibilem vi humana, amissibilem verò, atque auferibilem esse excessum quoad iurisdictionem. Quia character Episcopalis perinde, ac Presbyteralis est indelebilis, semperque inhaeret necessariò, vt dictum est in quæst. præcedenti. At iurdictio est amissibilis per depositionem, vel dimissionem. Hoc igitur modo Ordines Ecclesiastici differunt, suntque inæquales inter se.

Ad 1. Media sub eadem immediate, vel, sub eodem gradu distantia, ordinata ad eundem finem sunt eiusdem rationis & æqualia, sicut sunt æquales, & eiusdem rationis fines, qui possunt obtineri per eadem media, tum proxima, tum remota; non verò, quæ inæqualiter, distant à fine, nec fines non consequibiles per collectionem mediorum adæquatè eandem. Ostensum autem est Ordines Ecclesiasticos, non omnes æquè distare ab eorum fine, qui est mysterium Eucharistiæ.

Artic. 1. Ad 2. Esto differentialis ratio Episcopatus respectu Presbyteratus, non sit superior ratione differentialis eiusdem Presbyteratus, respectu Diaconatus, Subdiaconatus, &c. eadem nihilominus ratio differentialis Episcopatus, coniuncta cum ratione differentiali Presbyteratus, prout coniungitur in Episcopo, est præstantior, ac perfectior eodem Presbyteratu, vt dictum est. Vnde negatur antecedens. Sed

neque consequentia est omnino legitima ob inadæquationem paritatis. Primum, quia excessus Presbyteri supra Diaconum, Subdiaconum, &c. est incomparabiliter maior, quam excessus Episcopi supra Presbyterum, & præcisè ex vi Ordinis, ut patet ex actibus, & obiectis eorum, superius inuicem comparatis. Deinde, quia differentialis ratio Presbyteratus, continet in se omnem potestatem omnium inferiorum ordinum; id quod minimè verificatur de conceptu differentiali Episcopi respectu Presbyteri.

Artic. 2. Testimonia illa Augustini, & Hieronymi non sunt tam difficilis, & operosa concordia, ut mihi quidem videtur, quam nonnullis aliis visum est. Quia neque Augustinus fatetur, honorum vocabula, secundum quæ dicit Episcopatum esse maiorem, esse vacua, & sine fundamento reali. Neque Hieronymus negat totaliter differentiam Episcopi à Presbytero ex vi Ordinis, quin eam affirmat discrete in Epist. 85. ad Euagrium, in qua, vel maxime Presbyteratum extollit. Dicit enim sic: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter.* Præminet ergo Episcopus Presbytero, ex confessione clara Hieronymi, quoad potestatem ordinandi itaque Augustinus supposita, idque modestissime, ac mitissime prærogatiua Episcopi, quæ fundat illa honorum vocabula, addit cum maiori expressione, pro leniendo, & consolando Hieronymo, Episcopum nihilominus posse esse inferiorem Presbytero quoad multa, nempe quoad probitatem, doctrinam, ingenium, &c. Hieronymus verò supposita ubi cursum, ubi silenter notissima prærogatiua Episcopi quoad potestatem ordinandi, confirmandi, &c. totus est in comparatione quoad iurisdictionem, eamque prosequitur actiter, & fusè, dicens Episcopum absque iurisdictione esse posse, eandemque Presbytero posse adesse, atque ab initio penes conuentum Presbyterorum illam fuisse, uti modo quoque est penes capitula Canonicorum, vacante sede Episcopali. Quæ quidem vtriusque Sancti Doctoris assertiones, neque sibi inuicem quiddam contradicunt, neque doctrinæ à nobis traditæ.

Artic. 3. Illud vnum, in quod vehementer inclinare videtur Hieronymus in illo loco, necnon Ambrosius, siue quis alius author in Commentario c. 4. Epist. ad Ephes. ad illud, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, nempe Episcopos non esse iure Diuino superiores Presbyteris, etiam quoad iurisdictionem, neque ad eosdem pertinere regimen Ecclesiæ ex institutione Diuina. Id inquam ferendum nequaquam est, quia contradicit aperte definitionibus Tridentini supra memoratis artic. 3. Verum hoc obiter à me dictum sit, quod alij alibi luculenter demonstrant. Quia ad præsens solum spectat directè, comparatio quoad ordinem præcisè, & quoad ea, quæ sunt ab Ordine penitus inseparabilia, non solum in vniuersum, sed etiam respectu vniuscuiusque Ordinati in Episcopum, vel Presbyterum, nec solum aptitudinaliter, sed etiam actualiter. Iurdictio autem non est eiusmodi, respectu Ordinis Episcopalis, prout contracti ad vnumquemque Episcopum determinatè sumptum; sicut neque defectus iurisdictionis exterioris de qua est sermo, est talis respectu simplicis Sacerdotis.

Ad 3. Negatur paritas, quia summus Pontifex non præcellit cæteris Episcopis ex vi Ordinis, sed est illis eatenus prorsus æqualis, ideoque potest consecrari, ac ordinari à quolibet Episcopo. At Episcopus præcellit ex vi sui Ordinis simplici Sacerdoti, ut dictum est. Vnde paritas non tenet. Quod deinde assumitur Episcopos esse successores Apostolorum, est verum, ut dictum est ex Concilio Tridentino, Anacleto Papa, & alijs. Sed verum nequaquam est, quod præterea additur Apostolos fuisse omnes inter se æquales pote-

state etiam iurisdictionis. Quia præter illam communicationem potestatis omnibus Apostolis æqualiter concessam, quæ obseruatur in obiectione, extat alia peculiari prærogatiua potestatis, & iurisdictionis amplioris, atque omnino vniuersalis concessa specialiter Petro Apostolo, & successoribus eius, ut liquet ex art. 6.

Ad 4. Sicut omnia creata entitatiua sua perfectione participant bonitatem diuinam, eamque repræsentant, & nihilominus sunt inter se disparia, pro modo maioris, vel minoris participationis, & representationis; ita etiam omnes Ecclesiæ ministri, participant de sacerdotio Christi, illudque figurant, & nihilominus sunt inæquales inter se, propter inæqualem participationis, &figurationis gradum, uti expositum est supra, cum propinquitate patiter inæquali respectu consecrationis Eucharistiæ.

Q V Æ S T I O C I X.

Verum votum continentia sit sacris Ordinibus annexum?

Videtur non esse annexum. 1. Quia Matrimonium cum suo vsu, est iuris naturalis omnibus vniuersaliter à Deo concessum, ut patet ex illo Genes. 1. 28. *Crescite, & multiplicamini*, & ex naturali omnium propensione ad procreationem liberorum, propagationem, & conseruationem generis humani. Ergo nemini, aut debet, aut etiam potest negari matrimonium, & eius vsus, ac proinde nec ministris vllis Ecclesiæ.

2. Obligatio, & necessitas cælibatus, & continentia respectu ministrorum Ecclesiæ contradicit multis, & claris Apostoli Pauli documentis, utpotè dicentis 1. ad Corinth. 7. 2. *Vniuscuiusque propter fornicationem uxorem suam habeat*; & rursus ibidem: *Melius est nubere, quam vri*, ad Hebr. 13. *Honorabile*, dicit, coniugium in omnibus, ac proinde in Sacerdotibus etiam, & 1. ad Timoth. 3. 2. ad Tit. 1. 6. iubet Episcopum esse *vnius uxoris virum*, ac demum 1. ad Timoth. 4. 3. prædicat, in nouissimis temporibus, quosdam introductores esse doctrinas demoniorum prohibentes nubere, quod faciunt Antistes Ecclesiæ. Ergo perperam, & nequiter interdicitur ministris Ecclesiæ connubium, & eius vsus, contradicente toties Apostolo.

3. Apostoli habuerunt uxores, easque habuerunt itinerum comites quocunque pergerent, ut apparet ex 1. ad Cor. 9. 5. Vnde in can. 6. eorundem Apostolorum consequenter præcipitur, ne Episcopus uxorem prætextu Religionis abiciat; atque Conc. Gangrense can. 4. statuit sic: *Si quis discernit Presbyterum coniugatum tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo abstinere: anathema sit.* Ergo coniugia sacrorum hominum exemplo, & canone Apostolorum, atque Concilij legitimi autoritate munita reprobati nequaquam debent.

4. Frequenter assumuntur ad sacros Ordines, iuvenes, iidemque diuites, & delicati, atque voluptatibus dediti, de quibus propterea nulla spes prudenter concipi possit, quod sint continentes victuri, & quibus proinde melius esset nubere, quam vri, ut dicebat Apostolus paulò prius; atque ex opposito sequuntur frequenter magna incommoda, uti experientia docet clariùs, quam, ut scribere quiddam ea de re necesse sit, & colligi inter alia potest ex horrido illo euentu, quem describit Vdalric. in Epist. ad Nicolaum 1. ubi narrat à piscatoribus reperta fuisse capita infantium occisorum ad sex millia in piscina D. Gregorij, qui monitus desuper, suspendit interdictum, quo prius vt ferat sacros homines,

homines, ne matrimonia contraherent, necnon contraherentur libere; coniiciens, utique inde subsecutam fuisse monstrositatem illam. Cui enim verò semper est quadantenus obnoxia vniuersalitas eiusmodi legis. Iniquè igitur, pessimoque consilio Ecclesia interdicat connubia, & connubiorum usum saltem omnibus vniuersaliter, quos ad sacros ordines admittit.

5. Permittuntur sacris hominibus diuitiæ, earumque usus, imò eadem Ecclesia ex redditibus suis, magnas pluribus suis ministris providet diuitias, maxime verò Episcopis. Ergo non debet eisdem prohibere connubia, eorumque usum liberum. Patet consequentia. Primum, quia abundantia diuitiarum, earumque procuratio, ac dispensatio, non minorem vim habet diuertendi animum ab attenta, ac deuota sacri ministerij assiduitate, quam usus licitus sacramenti matrimonij, certè multo plures, multoque magis implicentur inextricabiliter negotiis pecuniariis, quam prudentia coniugali. Deinde abundantia diuitiarum, & abundantia, quam illa suggerit deliciarum, vehementer contradiat feneritati, ac sobrietati continentiae, eamque reddit moraliter impossibilem. Quæ de causa Apostolus 3. ad Timoth. 5. a. v. 9. cauet ne iuniores elegantur in Diaconissas, quia videlicet, cum luxuriata fuerint in Christo nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; idest quia lautius nutritæ abundantia bonorum Ecclesiæ, quæ sunt bona Christi, illecebras carnis impotenter concupiscunt, & inde incidunt in damnationem. Absurdè igitur, & inconsequenter prohibet Ecclesia connubia sacrorum hominum, quibus permittit diuitias, largiterque subministrat.

Art. 1. Responderetur. Certum primò est iis, qui iam sunt sacris ordinibus initiati, non solum non licere contrahere matrimonium, verum etiam matrimonia eorum esse irrita, ac nulla. Constat id, præter multa, quæ producit Bellarm. lib. de Clericis cap. 19. ex clara decisione Concilij Tridentini sess. 24. can. 9. de sac. matrim. qui sic habet: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum, &c. anathema sit.* Certum rursum est, iisdem, qui sacros Ordines susceperunt, esse illicitum in Ecclesia Latina usum matrimonij ante ordines contracti, atque uxorem ordinandi debere ab eo separari, & ingredi religionem, ac profiteri; vel si senior sit, emittere saltem votum castitatis in manibus Episcopi. Constat hoc, inter alia, ex cap. 4. 5. & 6. de conuers. coniugat. Certum tertio est licere Græcis, ut vtantur matrimonio ante ordinationem contracto. Demonstrat hoc pluribus clarè inter alios Arcudius lib. 7. de sacram. cap. 33. Certum denique est ex verbis Innocentij III. quæ habentur cap. *A multis* licuisse olim Subdiaconis uti matrimonio ante contracto, illudque contrahere de nouo. Putat autem Vasquez disp. 248. cap. 3. contrariam respectu eorum obligationem iam præsertam, capisse in Concilio Illiberitano can. 33. circa tempora Syluestri I. & Concilij Nicæni. Nempe nullum antè eam de re statutum vibi repetitur, atque can. 27. Apostolorum, reliquis, præter Lectores, & cantores, Clericis interdicit uxores, vel non emanauit re ipsa ab Apostolis, ut affirmant multi magno cum fundamento, vel ab initio non fuit usu receptus, vel certè consuetudine contraria fuit postea abrogatus, legisque vigorem, aut nunquam habuit, aut amisit cito, ut liquet ex testimonio Innocentij iam indicato.

Art. 2. Probabilius porro est, obligationem istam sacrorum hominum, etiam sacerdotum, & Episcoporum ad continentiam, tum quoad usum matrimonij

ante contracti, tum quoad contrahendum de nouo, non esse de iure Diuino, sed inductam esse iure Ecclesiastico, idemque dicitur de voto continentiae sacris ordinibus annexo. Ita docent communiter Doctores fere omnes cum Mag. dist. 34. & 37. & cum D. Thoma. 2. 2. q. 88. art. 1. atque Turrianum leuibus fundamentis singulariter opinantem in contrarium quoad Sacerdotes, & Diaconos, fusè, & efficaciter impugnant Vasquez loco nuper indicato, & Valentia disp. 9. quæst. 5. punct. 5. §. 1. & vel ex hoc vno apparet sufficienter, eam opinionem esse falsam, quia alioquin non potuisset Ecclesia, permittere Græcis, Sacerdotibus, etiam, & Diaconis, usum matrimonij ante contracti, ut permittit, atque cum ipsis quoad hoc dispensauit, quod fusè, & clarè demonstrat Arcudius vbi supra ex Concilio Lateranensi, ex Innocentio, & Clemente III. aliisque testimoniis.

Art. 3. Probabilius rursus est eandem cælibatus, & continentiae obligationem capisse tempore Apostolorum, semperque ab initio Ecclesiæ viguisse quoad Sacerdotes, & Diaconos. Colligitur hoc præcipue ex Concil. Carthag. 1. can. 2. *Episcopos, ait, Presbyteros Diaconos ita placuit, ut concederet Sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui sacramentis Dignis inseruiunt continentes esse in omnibus quo possint simpliciter, quod à Deo postulant impetrare. Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas nos quoque custodiamus. Ab vniuersis Episcopis dictum est. Omnibus placet, ut Episcopi Presbyteri, Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitia custodes, etiam ab vxoribus se abstineant.* Plura alia, ac præsertim loca aliqua D. Pauli diligenter expendit Valentia vbi supra §. 2. post Sotum lib. 7. de Inst. quæst. 7. art. 2. ut legem istam cælibatus sacrorum hominum antiquissimam esse ostendat, atque ad tempora reuocet Apostolorum.

Art. 4. Probabilius denique est, omnes sacris ordinibus initiatos obligari grauiter ad perfectam imperfectamque continentiam, ac cælibatum, non solum ex voto, quod ea de re implicite; vel explicitè emittunt, dum libera sua voluntate sacros ordines suscipiunt, sed etiam directe, ac immediate, ex lege Ecclesiastica, ita irritante matrimonia, quæ deinde contraxerint, & prohibente usum iam ante contracti, ut simul illis interdicat directe omnem actum Venerem, propter eminentiam status, ad quem euehuntur, & propter reuerentiam Altaris, & sacri cultus, cui mancipantur. Ita docent post Sanchez Agidius Conink, disp. 20. dub. 13. Martinon, & alij. Fundamentum est. Quia lex Ecclesiastica irritans contractum matrimoniale Clericorum, eosque reddens inhabiles ante contrahendum, ut de facto irritat, ac reddit iuxta Canonem Tridentini supra indicatum, aliaque eiusmodi, quamplura Ecclesiastica Statuta, quæ videri possunt apud auctores indicatos, eo ipso directe, ac immediate, & non solum mediante voto, obligat ad castitatem, perfectamque continentiam. Nempe motiuum Religionis, & reuerentiae, ac dignitatis sacrorum ordinum, quo nititur ea lex Ecclesiastica, primò, ac principaliter respicit actum Venerem, qui ratione sui de decet, utq; ab eo præseruet, præscribit votum continentiae, & prohibet, ac irritat matrimonia; ac proinde. Lex prius, ac principalibus, & quodammodo immediatius prohibet ipsum actum venerem, independentè à voto, & à nullitate matrimonij, atque ab inhabilitate personarum ad contrahendum. Confirmatur, quia alioquin volens suscipere sacros Ordines, simulque nolens obligare se voto castitatis, quod proculdubio fieri potest cum ea duo sint separabilia ex sua natura, tamen peccaret nolendo vouere, non tamen peccaret de nouo, si videretur post

post ordinem, matrimonio ante contracto. Imò contraheret validè post susceptum Ordinem, & vteretur licitè matrimonio, si Ecclesia solum mediante voto redderet illicitum matrimonium, eiusque vsum, nec nisi ratione eiusdem voti induceret nullitatem contractus, & inhabilitatem contrahendi. Nulla namque lege fieri potest, vt obligetur voto, qui non vult vouere, habetque voluntatem non vouendi, prævalentem absolute cuius alij suæ voluntati. Quod quidem videtur ex terminis patere. Sequela verò negatur ab omnibus. Debet igitur negari ab omnibus antecedens.

Artic. 5. Legem istam continentia, ac cælibatus factorum hominum esse iustam, & omninò conuenientem efficaci ratione demonstratur. Quia leges vnicuique præscribentes, aut vetantes, quæ plurimum iuuant, aut impediunt, quoad exhibendum conuenienter, & perfectè munus ipsi impositum, sunt iustæ, & omninò conuenientes, vt pater exemplo legum, quibus vbique gentium diriguntur magistratus ciuiles, belli Duces, milites, mercatores, alique eiusmodi. Quæ videlicet leges nulla alia de causa ab omnibus vbique laudantur, ac recipiuntur, quam quæ à nobis proposita est. Eam autem causam, locum, vel maximè in re nostra habere, apparet imprimis hæc obscure ex testimoniis productis pro veritate obligationis, & oneris prædicti; vtpotè habentibus insertam sibi talem causam, tanquam rationem ferendi legem, de qua agitur. Probatur deinde specialiter ex ep. 1. ad Corinth. toto ferè cap. 7. ex quolibet hæc pauca theorim obseruare. Ac primum obseruare id oportet, quod loquens de coniugatis, dicit Apostolus ver. 5. *Nolite fraudare inuicem nisi forte ex consensu ad tempus vt vacetis orationi.* Ergò vñs matrimonij est impeditus orationis, & debet abstinere ab illo, qui vult esse benè dispositus ad orandum. Initiati autem ordinibus sacris tenentur ex munere suo ad orandum quotidie & sæpius, & quod perinde est ad assistendum, & inseruiendum altari; ideòque semper debent esse dispositi ad orandum. Ergò vñs matrimonij semper, & quandocunque est impeditus muneris ipsorum proprii, quatenus in eo gradu constituti sunt, ac proinde debent ab illo abstinere semper. Vnde ad eisdem, quatenus excellenter participes muneris Apostolici specialiter pertinet, quod vniuersaliter subiungitur ibi, ver. 7. & 8. *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum; sed, &c. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut, & ego.* Illud est vrgentius, quod dicitur ver. 32. *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est, quia Domini sunt quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est sollicitus est quia sunt mundi quomodo placeat vxori, & diuisus est, & Mulier innupta, & Virgo cogitat quia Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Que autem nupta est cogitat quia sunt mundi, quomodo placeat viro;* Atque immediate aduertit Apostolus se hæc dicere, vt alliciat ad id quod honestum est & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obseruandi. Quibus profecto omnibus, & singulis, nihil significantius esse potest ad ostendendum, quam sit opportunum, ac necessarium iis, qui ratione sui status obsecrare Dominum assidue debent, vt proculdubio debent, qui sunt in sacro ordine constituti, vt sint liberi ab vxore, & à sollicitudine, actibusque vxoriis. Patet itaque plurimum conferre cælibatum ad institutum factorum hominum proprium, & quantum eidem accrescat impediementi, & inhabilitatis, ex statu coniugali cum prouidentia, & actibus ei annexis. Iustè igitur, & omninò conuenienter, lata est pro ipsis lex cælibatus, sub terminis, & modo superius explicatis.

Ad 1. Omnia quæ sunt de solo iure humano, permittuntur iure naturali, nec propterea leges humanæ

vniuersim omnes sunt, aut nullæ, aut iniustæ, tamen inducant impedimentum aliquod naturali alicui inclinationi. Ergò neque lex de cælibatu clericorum est irrita, aut illicita, quandoquidem matrimonium respectu singulorum hominum, est iuris naturalis solum permissiue, atque cælibatus est melior, & laudabilior, vt patet ex Concilio Euangelico sæpè repetito ab Apostolo, vbi suprà, & alibi.


Ad 2. Iam nuper clarè innotuit, quam, propensè cælibatus faueat Apostolus, maximè verò illo cap. primæ ad Corinth. Quapropter, quod dicit, *vnusquisque propter fornicationem vxorem suam habeat permittitum tantummodo est*, vt dicunt Hieron. Chrysost. Ambros. & alij Sancti Patres, ac interpretes. Agit enim Apostolus de quibusdam ethnicis recens ad fidem conuersis, & dubitantibus de licita retentione suarum vxorum, eaque de causa turbatis, ac prætentibus periculum fornicationis. Vnde pro eis consolandis, & pro vitando eo periculo, dicit Apostolus, vt pergant porò habere suas vxores ne fornicentur. Quod quantum, quæso distat à controuersia præsentis? Iam quod deinde addit melius esse nubere, quam vt, non eo pertinet, vt præferatur status matrimonij, statui cælibatus, vexati stimulis, & tentationibus libidinis, sed vt præferatur idem status matrimonij facili, ac effræni peccandi consuetudini, ob quam quis ardeat æternis flammis. Quod non tollit; quo minus sit melius pugnare cælibem, etiam adiuncto voto, cum stimulo carnis, per seueram eius mortificationem, quam sedare aliquantulum eius imperum per nuptias, vt inibi semel atque iterum docere, ac consulere Apostolum, ostensum est suprà. Rursus *honorabile coniugium in omnibus* non perinde est, atque illud esse laudabile, ac honestum respectu omnium pro quouis ita statu indiscriminatim; Hoc enim apertè contradicit doctrinæ eiusdem Apostoli superius expensæ, maximè verò ei, quam tradit 1. ad Timoth. 5. a. ver. 9. dicens fœminas Deo, & ministerio Ecclesiæ dicatas, habere damnationem, si deinde nubere velint, & irritam facere primam fidem, nempe castitati seruandæ, igitur Apostolus solum vult coniugium debere esse honorabile quoad omnia, idest ea omnia vitanda esse diligenter, quæ pugnant cum honestate, ac pudicitia coniugali, & cum honore coniugij. Haud est minus absurdum, vt adducatur in rem præsentem præceptum quo, iubetur Episcopum esse vnus vxoris virum. Hoc enim dicitur eodem sensu, quo in eadem Epistola 1. ad Timoth. cap. 5. præcipitur elegit viduam in diaconissam, quæ fuerit vnus viri vxor. Solum ergò præcipitur, ne, qui fuerit bigamus, assumatur ad Episcopatum, non verò vt etiam post Episcopatum, retineat, aut accipiat Episcopum vnâ vxorem, cum consilium de opposito præbeat aliis, etiam præter Episcopos, vt visum est suprà. Quod postremo loco prædicat Apostolus de quibusdam introducturis hæresim prohibitionem nuptiarum, tangit Manichæos reprobantes vniuersaliter omne coniugium, aut alios hæreticos docturos aliquando à nemine posse matrimonium licitè contrahi, quod Antistites Ecclesiæ minimè docent, sed solum matrimonium illicitè contrahi ab iis qui liberè eligunt eam vitæ statum, & professionem, cui non congruit sollicitudo, & vñs coniugalis.

Ad 3. Quidquid sit, an Apostoli ante Apostolatam omnes, aut plerique habuerint vxores, certum est ex testimonio totius antiquitatis eosdem post Apostolatam continenter vixisse absque noua vxore, & absque vñs præhabita; atque de Paulo Apostolo innotuit iam id clarè ex loco ad Corinthios superius obseruato. Quod additur in obiectione Apostolos circumtulisse vxores, quocunque irent, iuxta illud 1. ad Corinth.

Corint. 9. 5. *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & frater Domini, & Cephas?* hoc, inquam, Sancti PP. alii- que interpretes communi consensu accipiunt de piis mulieribus sequacibus Apostolorum, vt expensis, aliis- que suis ministerijs subuenirent indigentia Aposto- rum, per populos adhuc infideles, nec subministrato- ros, quæ sufficerent alenda vitæ, & Euangelio com- modè prædicando absque diuersione prouidendi sibi necessaria. Quo ferè pacto Christum etiam sequeban- tur piæ aliquæ mulieres, vt apparet ex 8. Luca. Id quod, etiam insinuat ipse Apostolus, dùm dicit foro- rem mulierem, & non vxorem, aut etiam mulierem vtumque. Canon ille Apostolorum solum præscri- bit, vt Episcopus, qui ante Episcopatum habuit vxor- em, non desinat postea, prætextu Religionis, & no- ui status astringentis specialiter ad diuina, prouidere illi sufficienter de rebus ad vitam necessarijs similiter intentio Con. Gangrensis dirigitur solum aduersus hæ- reticos, dicentes, matrimonium ex genere suo esse malum, ideoque non esse admittendos ad ordines sac- ros, eorumque ministeria, qui aliquando fuissent vxorati, quantumvis postea continentes essent, sicut repelluntur à sacris Ordinibus homicidæ, tametsi pos- tea poenitentiam agant. Hanc esse intentionem eius Concilij, quæ nihil habet commune cum controuer- sia præsentis, conuincunt aperte Valentia, Coninch. & alij ex versione Dionysij exigui apud Surium to. 1. Concil. Apparet igitur omnia huius, & præcedentis obiectionis perperam adduci aduersus antiquam, & laudabilem consuetudinem, & legem Ecclesiæ.

Ad 4. Si frequentia peccatorum aduersus leges sufficeret ad probandam iniquitatem earum, & ad easdem abrogandas, decalogus imprimis esset repro- bandus, ipsumque lumen rationis, quod Deus in- didit animæ esset malè institutum, contra quæ vide- licet frequentius, & deterius peccatur. Quod ad iu- uenum promouendorum qualitatem attinet, Eccle- sia prouidit optimis legibus, vt ij soli promoueant- tur, de quorum probitate, & spe prudenti bonæ fru- gis prius legitime constiterit, vt liquet inter alia ex Conc. Trid. sess. 23. in decr. de reformat. à cap. 11. De circumstantia diuitiarum dicitur paulo post. Circa ex- perientiam incommodorum, & scandalorum affirmari imprimis, verè, ac sincerè potest cum Valentia plu- res esse sacris ordinibus initiatos, qui calibatam immaculatè, ac laudabiliter obseruent, quam coniugatos, quorum coniugium sit honorabile in om- nibus, vt nuper dicebatur ex Apostolo quique leg- es conjugales obseruent exactè. Deinde in omni hominum genere, omnibusque eorum statibus plu- res sunt defectus, quam perfecti, & iusti, quia Deus pluris meritò facit paucorum iustitiam, & sanctita- tem, quam impeditionem iniquitatis, ac peruersio- nis plurimorum de qua comparatione, & de iusta eo- rum extremorum æstimatione, dictum est ex professo quæst. 35. de Deo. Quapropter numerus qualiscun- que, & vtunque exigui Clericorum exemplarium, & immaculorum, præponderat bonitate sua cumu- lo vtunque magno, eorum qui non satisfaciunt mu- neri, ac status sui sublimitati demum horrida illa nar- ratio Vdalrici est fabulosa, vt aperte conuincit Card. Bellar. lib. 1. de Clericis cap. 22. atque, vt vera esset, id accidisset semel, vti accidit semel occisio sancto- rum puerorum Innocentium quæ non suffecit, vt reprobaretur institutio Principatus, idemque dicitur de alijs eiusmodi, quorum exempla sunt quia in histo- rijs. Quod caput est; nihil simile, aut aliqua ex parte proportionale contigit prius aut postea occasione cæ- libatus factorum hominum, atque instituta, & leges laudantur, & reprobantur pro qualitate exitus perma- nenter, atque vt plurimum indè prouenientis.

Ad 5. Inter diuitias, & vxorem est hoc inter alia discrimen, quodd diuitiæ possunt, ac debent contem- ni, atque cum aliis communicari, vxor nec debet, nec potest. Vnde habens vxorem, necessariò est di- uisus, & cogitare debet, quomodo placeat vxori, estque indispensabiliter sollicitus, quæ sunt mundi, vt dicebatur suprà ex Apostolo. Nihil autem eius- modi accidit necessariò, & conuenit, vt fiat oppo- situm circa diuitias, vti à pluribus Ecclesiasticis factum est Olim, hodieque sit, maxima cum laude, & cum pu- blica vtilitate, haud exigua. Nulla igitur est paritas à permissione diuitiarum, ad permissionem matrimo- nij, actuumque coniugalium. Longum porrò esset dicere quibus rationibus honestè acceptet Ecclesia ingentes diuitias, quas ipsi erogat pietas Fidelium, earumque administrationem cum moderato propor- tionaliter vsu committat ministris suis. Hoc vnum est terrenorum possessionem non contrariari diuino cul- tui ad quem Clerici deputantur sed nimiam eorum soli- citudinem, quia solus affectus in crimine est, vt dicit ex Gregorio Magno, D. Thomas quæst. 40. artic. 3. Dein- de habentibus diuitias suppetunt plura nihilominus remedia pro incolumitate puritatis, & pro conti- nenda, ac subigenda effrænitæ appetitus, inter quæ vnum est, vt illas habeant, tanquam non habentes, vt dicit Apostolus, & dictum est licere, ac expedire diuerso longè modo, ac liceat, & expediat respectu vxoris. Quod attexitur de Diaconissis, duplici de cau- sa non conuincit. Quia videlicet sexus fæmineus est debiliior, & rapitur violentius, quauis occasione, & proxima possibilitate malorum, idemque est minus idoneus pro administratione, & vsu diuitiarum ad pu- blicam vtilitatem, & ædificationem, quæ multiplici- ter indè ab idoneis Clericis promouentur.



INCIPIUNT QVÆSTIONES de Sacramento Matrimonij.

QVÆSTIO CX.

*Vtrum Matrimonium sit Sacramentum Nouæ Le-
gis institutum à Christo.*



IN ET VR non esse. 1. Quia idem non po- test bis institui, certè non conuenienter su- peradditur secunda institutio, post institu- tionem Diuinam. Matrimonium autem fuit institutum à Deo in Principio mundi, vt patet ex 1. Genesis, vbi directis prius vniuersaliter ad omnia ani- malia illis verbis ver. 22. *Crescite, & multiplicami- ni;* subiungitur deinde benedictio Dei directa deter- minate ad virum, & fæminam cum præcepto matri- monij, & vsus eius, vt patet ex verbis illis ver. 28. *Masculum, & fæminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait, Crescite & multiplicamini.* Ergò matrimo- nium non est sacramentum nouæ legis institutum à Christo.

2. Matrimonium Adami, & Euzæ, & quorumuis aliorum est sacramentum significatiuum coniunctio- nis inter Christum, & Ecclesiam, vt apparet ex longa, & exacta comparatione, quam instituit inter vtrum- que Apostolus ad Ephes. 5. à ver. 22. absoluitque ver. 32. dicens: *Sacramentum hoc magnum est. Ego au- tem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ergò matrimonium non cœpit habere rationem sacramenti ex institutione Christi in lege noua.

3. De